J Gallotius.

INSIGNIVM ALIQVOT VIRORVM ICONES.

*


Clement



LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNÆSIVM.
M. D. LIX.

Francisci Syhniani.
ex dono R. Balcerini





G. TVFFANO GYMNASIARCHÆ NEMAVSENSI VIRO ERVDITISS.

I. T. F. S.

*



VM pater iandudũ haberet haſce icones inutiles, ne omnino perirent, hæc pauca, quæ huic opuſculo inſunt, ex varijs auctoribus accumulaui: exiguum ſanè opus, nullaq; laude dignum. Verùm ne ingrati nomen mihi aſſumerem, volui hoc tibi, qualecunq; eſſet, primogenitũ dicare, tibi, inquã, qui ingenium meum ſatis infœcundũ, ſcabroſum, ac rude, primùm excoluiſti, dolaſti, ac ſubegiſti. Turpe enim eſſet, ac omnino illiberale, ſi eum qui

me primò informauit, ac ſtudia me:
direxit, præceptorem non agnoſcerē
Hoc igitur, quamuis te indignum, hi
lari excipies fronte, ac in eo quid vo
luerim, non quàm pauca potuerim
conſiderabis. Aeternum vale, vir
eruditiſs. Lugd. II.
Cal. Aprilis,
1559.

STVDIOSÆ IV-
VENTVTI.



CVM hoc seculo tanta sit frequentia eorum, qui, vt de literis benè mereantur, in id totos dies & noctes incumbũt, quo aliquo modo poßint studiosorum conatus iuuare: ne solus ociosè feriari viderer, ego & hoc meum doliolum volui volutare. Hoc igitur opusculum in lucem emisi: in quo iconibus annexui nonnulla de eorum, quos exprimunt, vita, & genere: insuper ætatem qua quisque vixit. Quod quidem quàm leue sit, quamq; parui momenti, non me latet. Quidquid enim in eo est, ex varijs tantùm autoribus compilaui: in quo quidem non ingenio non solertia opus est, sed tantùm labore, et labore quidem leuißimo. Adhæc paucæ sunt Icones. Hoc tamen qualecunq; sit, in tuam gratiam emittimus, et emittemus quodcunque posthac à nobis prodierit.

Hoc in libello aliquot Icones inuenies, partim philosophorum, partim quorundam quorum scripta in nostris manibus extant: tempora item quibus quisque emicuerit, & nonnulla de eorum genere ac vita. In quo si quædam (tuo iudicio) non rectè quadrent, vt certo scio multa fore, nostrarum virium imbecillitatem increpabis, quæ dum incrementum acceperint, aliud maius tentabunt.

Intereà istis fruere.

Lugd. II. Cal. April.

Auctores quibus in hoc opusculo usi sumus.

*

Volaterranus.
Aulus Gellius.
Cælius Rodiginus.
Diogenes Laërtius.
Petrus Crinitus.
Plutarchus.
Funccius.
Lucianus.
Erasmus.
Suidas.
Plinius senior.
Titus Liuius.
Cicero.
Ioannes Picardus.
Polybius.
Orosius.
Iustinus.
Diodorus.
Eusebius.
Onuphrius Panuinius.
Phauorinus.
Strabo.

Glauc

G

Men


Virg

INSIGNIVM ALIQVOT VIRORVM ICONES.

*



LINVS THEBANVS SCRIPTOR.



INVS Thebanus, poëta antiquiſsimus, Apollinem patrem habuit, vt teſtatur Virgilius in Pollione:

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamuis, atq; huic pater adſit:

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Seu, vt alijs placet, Mercurij filius fuit ex Musa Vrania, Thebisq́; genitus. Puto eum emicuisse circa annum mundi 1955. Scripsit autem mundi generationem, Solis item & Lunæ cursus, animaliumq́; & fluctuum generationes. Hic in principio sui operis omnia simul nata dixit. Occubuit in Eubœa, sagitta ab Apolline transfixus. Eius hoc apud Diogenem legitur epitaphium:


Ὧδε Λίνον Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,
Μούσης Οὐρανίης υἱὸν ἐϋστέφανον.

Candida purpureis redimitum tempora sertis
Thebanum Vraniæ continet Vrna Linum.



BEROSVS CHALDÆVS.

BEROSVS Chaldæus ſacerdos grauiſsimus, in Aſtrologia clarus fuit. Emicuit circa annum mundi 2480. Ei Athenienſes olim propter ſummam eloquẽtiam atque ſapientiam, ſtatuam lingua aurea in ſuis erexerunt ſcholis, mediaq́; collocarunt Academia. Scripſit libros quinq; Antiquitatũ maxima breuitate. Citantur eius hiſtoriæ à Ioſepho lib.1. contra Appionem, & Athenæo lib.XIIII.



PHERECYDES ATHENIENSIS PHILOSOPHVS.

PHERECYDES Atheniensis Philosophus claruit sub Ægeo Pandionis filio Atheniensium Rege nono. (Incœpit autem regnare Ægeus anno mundi 2682.) Ab Orpheo fertur multa didicisse. Scripsit Theogoniam libris decem, & libellum de rerum principio. Eius scripta passim citantur apud Hyginum, & commentatorem Arati.



HOMERVS GRÆCVS POËTA AC VATES EXCELLENTISSIMVS.

HOMERVS filius fuit Criteidis Melanopi filiæ : patris nomen incertum eſt. Hic primò Meleſigenes dictus eſt. Eius mater nupſit Phemio cuidam, qui Smyrnæ iuuentutem literas ac muſicam docebat, quiq; puerum adoptauit, ac ei vita functus vniuerſa legauit. Meleſigenes itaq; cùm ludo præeſſet, ſui iam iuris effectus, in magna hominum fuit admiratione, non modò apud ſuos, ſed etiam apud externos, qui illuc mercatus gratia frequenter commeabant. A Mente tandem nauiculario impulſus permultas terras peragrauit, in qua quidem peregrinatione


visum amisit: vnde Homeri nomē sibi comparauit. (Iones enim cæcos Homeros appelant, quòd Homeris, id est, itineris ducibus, egeant.) Postremò in Io contigit eum grauiter ægrotare, ex quo morbo diē clausit, ibiq; honorificè sepultus est. Eius sepulchro huiusmodi inciderunt elegiacum,

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον ὅμηρον.

Quem verò viuum spreuerant, eum sibi armis voluerunt vendicare mortuum septem Græciæ ciuitates:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Eius hæc extant poëmata: Ilias, Odyssea, Hymni Deorum, & Batrachomyomachia. Vixit anno mundi 3085.



BIAS PRIENÆVS TEVTA-
MI FILIVS.

BIAS Prienæus, qui inter Græciæ ſeptem ſapiẽtes annumeratus eſt, floruit Olympiade nona, circa annum ab Vrbe condita duodecimum. Patrem habuit Teutamum. Sex reliquis ſapientibus prælatus eſt. Opulentus fuit. Meſſenias puellas captiuas redemit, ſibiq́; in filias nutriuit, ac poſteà adiectis dotibus Meſſanam parentibus illas remiſit. Breui pòſt inuento Athenis à piſcatoribus aureo tripode, cui erat inſcriptum, Sapiẽti, puellæ, ſeu, vt alij, puellarum pater, in cõcionem venit, Biantemq́;, expoſitis quæ in ſe egiſſet, appellauit ſapientem, ſicq́; tripoda ad eum miſſum: eo conſpecto dixiſſe Biantem, Apol-

linem esse sapientem: neque illum admisisse. Alij Thebis Herculi sacrasse ferunt, quòd illinc esset oriundus, Prieneq́; Thebanorũ colonia. Fertur, quum ab Alyatte Priene ipsius patria obsideretur, Biantem ex industria duos saginasse mulos, eosq́; in castra impulisse: eis conspectis obstrepuisse Regem, quòd bruta quoque animalia tam nitidè haberent, ac de soluenda obsidione cogitantem, explorandi gratia nuntium in vrbem misisse. Bias consilio Regis explorato, magnos arenæ aceruos tritico operuit, hominiq́; ostendit. Rex eo agnito, cum Prienensibus pacem percussit, moxq́; Bianti vt ad se veniret mandauit: qui quidem tale dedit Regi responsum, Equidem Alyattem cepas edere ac flere iubeo. In causis orandis summus ac vehementissimus fuit, in bonam tamen partem dicendi vim exercere solitus. Vnde & hæc manarunt prouerbia: Oratori Prienæa causa est imitanda: &, Biante Prienensi causas agere præstantiùs.

In hunc autem modum è viuis excessit: Causam pro amico dixerat iam vetulus, & cùm à dicendi labore quieuisset, caput in sinu nepotis ex filia reclinauit. Cùm verò aduersar

uersarius itidem perorasset, iudicesq; sententiam pro eo tulissent, qui causæ suæ Biantem habuerat patronum, soluto iudicio, nepotis in gremio efflauisse eum animam compertũ est. Quo viso ciuitas eum magnificè sepeliuit, eiusq; laudes tumulo inscripsit,

Κλεινῆς ἐν δαπέδοισι Πριήνης φύντα καλύπτει
  Ἥδε Βίαντα πέτρη κόσμον Ἴωσι μέγαν.

Petra Prienæum tegit hæc benè culta Biantem,
  Ornamentum ingens qui fuerat Ionijs.

Et,

Hic situs est Bias, Hermes quem duxit ad Orcum
  Albentem niueis tempora cana pilis.
Vt causam dixit socij, inclinatus in vlnas
  Mox pueri, somnum soluitur in tenuem.

Scripsit autem de Ionia ad duo milia versuum, quanam ratione quis felix esse potest. Placuerunt eius istæ in primis sententiæ, Ciuibus placere omnibus stude: habet enim id multum gratiæ: contrà verò fastus ac superbia semper nocuit. Et illud, Corpore quidem esse validum, naturæ munus est. Porrò quæ vtilia sint patriæ dicere, animi & prudentiæ proprium: pecuniarũ autem proprium etiam plurimis fortè obuenisse. Infelicem dicebat

qui ferre nequiret infelicitatem: morbumq́; animæ impoſsibilia amare & appetere, alieni verò incommodi non meminiſſe. Interrogatus quidnam eſſet difficile, Ferre, inquit, fortiter mutationem rerum in deterius. Nauigabat cum impijs aliquando, & cùm orta tempeſtate nauis quateretur fluctibus, illiq́; Deos inuocarent, Silete, inquit, ne vos hîc illi nauigare ſentiant. Percontanti impio homini quid eſſet pietas, nihil reſpondit. Cumq́; ille ſilentij cauſam ſciſcitaretur: Quia, inquit, de rebus nihil ad te pertinentibus quæris. Rogatus quid eſſet dulce hominibus, Spes, ait. Malle ſe inter inimicos quàm inter amicos iudicare dicebat. Quippe ex amicis alterum prorſus futurũ inimicum, ex inimicis autem alterũ amicum. Forte interrogatus quidnam faciens homo delectaretur, Lucrans, inquit. Dicebat vitæ tempus ita metiendum, quaſi & diu, & parum victuri ſimus. Ita amandum, quaſi odio ſimus habituri: malos enim eſſe plurimos. Sic autem conſulebat: Si quid agere inſtituis, lentè aggredere: cæterùm in eo quod elegeris, firmiter perſiſte. Noli citò loqui, eſt enim inſaniæ iudicium. Prudentiam dili

dilige. De Dijs ita vt ſunt loquere. Indignum hominem diuitiarum gratia laudarc noli. Perſuadens accipe, non cogens. Quicquid boni egeris in Deos refer. Viaticum tibi ab adoleſcentia ad ſenectutem compara: ea quippe ſola eſt certa veraq́; poſſeſsio.



PERIANDER CORINTHIVS.

PERIANDER Corinthius patrem habuit Cypſelum ex Heraclidarum gente: vxorem autem Lyſidem, quam & ipſe Meliſſam appellabat, Proclei Epidaurenſium tyranni, & Eriſteneæ Ariſtocratis filiæ, ſororisq́; Ariſtodemi filiam, qui toti fermè Arcadiæ dominabantur. Duos ex ea genuit filios, Cypſelum, & Lycophronem: alterum ex his iuniorem

prud

prudentem, maiorem natu ſtolidum. Poſt aliquantum temporis accenſus ira, miſſam ſub gradus prægnantem coniugem, calcibus percuſsit ac necauit, pellicum perſuaſus calumnijs, quas tamen poſteà igne cremauit: puerumq; Lycophrona matri fletu iuſta ſoluentem abdicauit, atq; in Corcyram agi præcepit: iam verò vicinus ſenio illum vt ei tyrannidem per manus daret, ad ſe accerſiri iuſsit. Eius deprehenſo conſilio Corcyrenſes inuicem interemerunt. Hoc ille comperto furijs ſuccenſus, eorum liberos ad Alyattem præſecandos miſit. Cùm autem nauis appropinquaſſet Samo, Iunoni vota facientes, à Samijs ſeruati ſunt. Quod ille vbi didicit, mœrore confectus exceſsit è vita, annos natus fermè octoginta, Olympiade quadrageſima octaua, cùm vigeſima octaua natus eſſet. Mater eius Cratea illius amore feruens, clàm congredi ſolita eſt cum illo non inuito, tantoq; flagitio acquieſcente. Quod vbi cognitum eſt, dolens ſe fuiſſe deprehenſum, grauius iam ciuibus inſtabat. Vouit aliquando, ſi Olympia quadriga viciſſet, auream ſtatuam Deo ſacraturum: victoria verò potitum, & auro egentem, quadam celebritate populari, mulieri-

bus

bus procedentibus ornatis, mundum ademiſſe muliebrem, atque ita donarium miſiſſe aſſerunt. Ille cùm ſepulchrum ſuum ignorari vellet, tale quippiam commentus eſt: Duobus iuuenibus viam quandam oſtendit, ac iuſsit noctu per illam incederent, eumq́; qui primus occurriſſet, interimerent ac ſepelirẽt: poſtq́; illos alios quatuor miſit, qui eos necarent, ac ſepulturæ traderent. Rurſus contra eos plures, itidemq́; vt facerent, imperauit. Atque ita ipſe primis obuius, occiſus eſt. Extat & Tetraſtichon cauſam mortis eius continens:

Μή ποτε λυπήσῃ σε τὸ μή σε τυχεῖν τινος, ἀλλὰ
Τέρπεο πᾶσιν ὁμῶς οἷσι δίδωσι θεός.
Καὶ γὰρ ἀθυμήσας ὁ σοφὸς Περίανδρος ἀπέσβη,
Οὕνεκεν οὐκ ἔτυχεν πρήξιος ἧς ἔθελεν.

Ne tibi iam doleat ſi non optata ſequaris,
Sed iuuet id ſuperi quod tribuere Dij.
Nam ſapiens Stygias Periander ceßit ad vmbras
Extinctus, quòd non quæ voluit, valuit.

Eius autem hæc feruntur placita: Nihil pecuniarum gratia agendum: oportere enim aliàs modo qui honeſtus nõ ſit, lucrari. Scripſit Hypothecas ad duo milia verſuum. Dicebat his qui tutò regnare vellent, ſumma ope niten

nitendum, vt beneuolentia non armis ſtiparentur. Rogatus aliquando cur in tyrannide perſiſteret, Quia, inquit, & ſponte & inuitum cedere æquè periculoſum eſt. Dixit & hæc, Bona res eſt quies, ac periculoſa temeritas. Turpe lucrum. Populi adminiſtratio tyrannidi præſtat. Voluptates corruptibiles ſunt, honores immortales. Rebus ſecundis moderatus eſto, aduerſis prudens. Amicis & felicibus & infelicibus eũdem te præbe. Quodcunque pollicitus fueris, ſerua. Inter loquendum caue ne ſecreta pronunties. Non peccantes modò, verùm & peccare geſtientes punito. Cura & labor omnia poſſunt: nam & Iſthmum quoque potuerunt perfodere. Primus hic armatis circunſeptus inceſsit, magiſtratumq́; ad tyrannidem tranſtulit. Floruit circa trigeſimam octauam Olympiadem, temporibus Anci Martij quarti Romanorum Regis. Ipſius extant hæ apud Diogenem epiſtolæ:


PERIANDER SAPIENTIBVS.

Gratias immortales ago Pythio Apollini, quòd in vnum coactos epiſtolæ meæ repererunt,

rerunt, ipsæq; Corinthum, vt confido, perducent. Expecto itaque vos. Certè ipsi videbitis quàm ciuiliter vos excipiam. Sicut igitur anno præterito Sardis in Lydiam venistis, ita nunc oro ne pigeat ad me proficisci Corinthi tyrannum. Videbunt enim vos non sine gratulatione Corinthij Periãdri domum adeuntes.

PERIANDER PROCLEO.

Nobis quidem non ex sententia fuit vxoris scelus. Tu autem sponte filio ingrato si quid egeris, peccas. Aut igitur immanitatem in filium compesce, aut ego illi opem feram. Nam & ipse satis diu pœnas dedit.



PITTACVS MITTY-
LENÆVS.

PITTACVS Mittylenæus Hirrhadij Thracis filius vixit quadragesima secunda Olympiade. Hic vnà cum Alcæi fratribus Melanchrum Lesbi Tyrannum profligauit. Et cùm de agri Achillitidis possessione inter Athenienses & Mittylenæos armis decerneretur, Imperator ipse exercitus cum Phrynone Atheniensium duce, qui & pancratiastes & olympionices fuerat, singulari certamine pugnare instituit: quem quidem peremit, atque ita agrum seruauit. Posteà verò Athenienses disceptarunt cum Mittylenæis de possessione agri, qui quidem à Periandro controuersię iudice, Atheniẽsibus adiudicatus est. Hinc eum


eum in ſummo honore habuerunt Mittylenæi, eiq́; principatum tradiderunt: quo ille, cùm decem annis tenuiſſet, ac Rempubl. præclaris ordinibus conſtituiſſet, ſeipſum ſua ſponte abdicauit: aliosq́; decem annos ſuperuixit. Obijt autem quinquageſima tertia Olympiade. Extat eius ad Crœſum epiſtola, qui quidem illius ſummo deſiderio tenebatur.



STESICHORVS POËTA LYRICVS.

STESICHORVS Euphorbi filius, Imeræus fuit. naſcitur Olympiade 45. Fratrem habuit Mamertinum, Geometriæ peritiſsimum. Lyricus fuit. Scripſit XXVI. libros

poëmatum Dorica dialecto. Fertur exoculatum fuisse cùm scripsisset Helenę vituperationem, rursusq; ob palinodiam visum recuperasse. Vocatus est Stesichorus, quoniam primus cum citharæ cantu chorum instituit, cùm anteà Tisias vocaretur. Decesit Cataniæ Olympiade 58. quò profugus venerat: sepultusq; est ante portam, quæ à nomine ipsius Stesichoria nuncupata est.



MYSON CHENEVS.

MYSON Cheneus Strimonis filius, inter septem Sapientes annumeratus est. Floruit autem quadragesima nona Olympiade, sub L. Tarquinio Prisco Romanorū Rege. Cùm ab Anacharside quæreretur quisnam esset

se sap

ſe ſapientior, reſpondit, Oeteum quendam Myſonem Cheneum ſe ſapientiorem eſſe. Hoc Anacharſis oraculo ſollicitatus, ad vicum peruenit, Myſonemq́; æſtate reperit ſtiuam aratro aptantem: cui quidem dixiſſe fertur, Atqui ô Myſon, non aratro vacandi nunc tempus eſt: illumq́; reſpondiſſe, Imò ſatis tempeſtiuũ ad illud parandum. Docebat autem, non ex verbis res, ſed ex rebus verba eſſe inquirenda, neq; propter verba res perfici, ſed rerum gratia verba conſummari. Defunctus eſt ætatis anno nonageſimo ſeptimo.



EPIMENIDES CRETENSIS.

EPIMENIDES Cretenſis, Ageſarcho patre, Gnoſo oriundus, 49. Olympiade floruit. Miſſus aliquando à patre ouem vt rure deferret, meridiano tempore diuertit ex itinere, atque in ſpelunca 57. annos perpetuos obdormiuit. Dehinc ſomno excitatus quærebat ouem: putabat enim ſe parum obdormiuiſſe. Quam cùm non inueniſſet, in agrum reuertitur. Cùm verò rerum omnium faciem immutatam cerneret, agrumq́; in alterius ius conceſsiſſe, ſtupore attonitus & dubius rediijt in oppidum. Ibi cùm domum paternam vellet ingredi, quiſnam eſſet interrogatus, vixq́; agnitus à iuniore fratre iam vetulo, omnem

omnem ex illo didicit rei veritatem. Vnde Deo charißimus habitus eſt : ita vt Athenienſes peſte laborantes, eum ex Creta aduocarint, vt eorum vrbem expiaret. Hoc autem modo peſtẽ compeſcuit. Sumpſit oues nigro & candido vellere : duxitq́; in Arium pagum, atq; inde, quò vellent, abire permiſit: his qui illas ſequebantur, mandans, vbicunq; accubuiſſent, ſingulas mactarent peculiari cuipiam Deo. Athenienſes ea peſte liberi, homini talentum decernunt, & nauim quæ eum in Cretam reueheret. Verùm ille pecunia repudiata, amicitiam & ſocietatem Athenienſium & Gnoſiorum impetrauit : reuerſusq́; domum paruo pòſt tempore è vita migrauit. Quantam verò vixerit ætatem, diuersè opinatur. Alij enim centeſimo quinquageſimo ſeptimo ſuæ ætatis anno obijſſe dicunt, alij ducenteſimo nonageſimo nono, alij deniq; centeſimo quinquageſimo quarto. Extat eius epiſtola ad Solonem.



SOLON SALAMINIVS LEGISLATOR.

SOLON genere Salaminius, claruit quadragesima nona Olympiade. Patrem habuit Execestidam. Inter septẽ Græciæ Sapientes annumeratus est. Is Atheniensibus leges dedit, ac eas quas Draco tulerat, exceptis quæ de cæde erant, antiquauit, atque ob magnitudinem pœnarum abrogandas curauit: nam vna omnibus pœna constituta erat, vt etiam qui otij damnati essent, aut qui olera surripuissent, capite plecterentur. Ob quam caussam Demades dicere solebat, Draconem nõ atramento, sed sanguine leges suas scripsisse. Florebat tunc in Republica Pisistratus æmulus Solonis, cui & genere propinquus erat: cuiusq; eloquentia plus potuit apud populum,

lum, quàm huius ſapientia. Ceſsit ſponte Solon, tyrannũ fugiens, primùm in Ægyptum, deinde in Cyprum, poſtremò ad Crœſum Regem: cui, cùm eius opes videret, oſtentanti, atque interroganti num quis eo felicior eſſet, reſpondit, Tellum quendam pauperem admodum, alioqui iuſtum, Athenis agentem: ſimul affirmans nihil eſſe felix, quod temporum mutationi ſubiaceret, felicitatem tantùm finem indicare. Cuius ſentẽtiæ Crœſus poſtea à Cyro captus meminiſſe dicitur. Solon inde in Ciliciam profectus, ciuitatem à ſuo nomine Solos dixit, in qua Athenienſes colonos ſtatuit: qui interuallo temporis ab Attica lingua deſciſcẽtes, Solœciſſare dicti ſunt: vnde verbum Solœciſmus tractum. Deceſsit in Cypro annorum 80. Mandauit oſſa Salaminem transferri, ibiq; per regionem proijci ac diſsipari, ne Athenas inferrentur: quoniam diſcedens iureiurando ciues adegit, non antiquaturos leges ſuas, donec rediret. Scripſit conciones & epiſtolas quaſdam, & iambos. Cicero huiuſmodi cõmemorat epigramma eius ſepulchro inſculptum, Tuſc. quæſt. lib. I.

Mors mea non careat fletu, linquamus amicis
Mœrorem, vt celebrent funera cum lacrymis.




ANACHARSIS SCYTHA.

ANACHARSIS Scytha Gnuri filius, matre Græca, Caluidæ verò Scytharum Regis frater, apud ſordidiſsimos Scythas ſapiẽs fuit. Floruit quadrageſima nona Olympiade, temporibus L. Tarquinij Priſci Romanorum Regis quinti. Eius imaginibus olim inſcriptum fuit, LINGVA, VENTRE, PVDENDIS ABSTINENDVM EST. Hunc tradit Plinius inueniſſe rotam figuli, cuius circuitu vaſa formarentur: quod quidem non eſt veriſimile, cùm Homerus, qui longè fuit antiquior (vtpote qui floruerit, vigeſima quarta Olympiade, ſub Numa Pompilio ſecũdo Romanorum Rege,) figuli rotæ mentionem faciat. Dicere ſolitus fuit leges aranearum telis aſsimi

aſsimilari. Ita aduerſus duros fortunæ caſus ſe parauerat, vt nudis pedibus iret,in terra dormiret, & famem pro pulmento haberet. Is dum Athenienſium leges apud ſuos introducere conatur, à fratre eius loci Rege ſagitta confoſsus eſt. Extat Diogenis in eum tale quoddam Epigramma,


Ἐς Σκυθίην Ἀνάχαρσις ὅτ' ἤλυθε πολλὰ μογήσας,
  Πάντας ἔπειθε βιοῦν ἤθεσιν ἑλλανικοῖς.
Τόν δ' ἔτι μῦθον ἄκραντον ἐνὶ στομάτεσσιν ἔχοντα
  Πτηνὸς ἐς ἀθανάτους ἥρπασεν ὦκα δόναξ.

Scripſit autem de Scytharum legibus, & de his quæ apud Græcos legitima & ſolemnia ſunt, ad frugaliorem ac viliorem victũ, itemq; de re bellica ad nongentos verſus.



CLEOBVLVS LINDIVS.

CLEOBVLVS Euagoræ filius, è Lindo, ſiue, vt alij ſentiunt, è Caria oriundus fuit. Circa quadrageſimam nonam Olympiadem floruit. Is inter ſeptem Græciæ Sapientes annumeratus eſt. Robore & pulchritudine corporis eximius fuit. Ægyptũ philoſophandi gratia petijt. Extat eius breuis ad Solonem epiſtola. Filiam habuit Cleobulinam virginem doctam, quæ Hexametris ænigmata quædam perſcripſit. Deceſsit autem annos natus ſeptuaginta. Multa eius ſapienter dicta videntur apud Suidam.



ΑΙΣΩΠΟΣ ΦΡΥΞ Ο ΜΥ-
ΘΟΠΟΙΟΣ.

AESOPVS Phryx genere, ſcriptor fabularum, quem Ariſtoteles, Plato, & Apuleius non dedignantur citare, floruit Olymp. 54. Seruus ac deformis, ſed aſtutus ac facetus fuit. Miſſus ad fodiendum agrum, cùm falsò à conſeruis accuſaretur quòd ficus domino ſeruatos ediſſet, aqua calida coràm potata, & eadem reuomita, ſe inſontem eſſe monſtrauit: accuſatores idem facere iuſsi, ficus euomuerunt. Deinde dono datum Zenæ agri procuratori, Zenas cuidam mercatori illac prætereunti, vendidit. At in penuria iumentorum cùm ferre iuberetur vna cum alijs ſuũ onus, ipſi debilem ſe facienti data optio leuius portare: tulit autem caniſtrum panibus plenum

cæter

cæteris ridentibus, vt grauius: at cùm illos anteiret, diſtributis paulatim in itinere panibus, leuiore ſarcina ambulabat, donec perueniret Epheſum: Vbi rurſus Xantho cuidam venditur: à quo interrogatus cuias eſſet, reſpondit: Ex carne. At ille, non hoc peto, inquit, ſed vbi natus: In ventre matris, ait. Rurſus, Nō hoc dico, ſed in quo loco: Neſcio, ait, ſi in lecto, an extra. Cedo, inquit ille, quid ſcis facere? Nihil, ait Æſopus. Illo admirante, Nam mei, inquit, conſerui qui tibi mecum ſunt venditi, cùm ſe dicant omnia ſcire, mihi nihil relictum eſt. Propoſita quondam quæſtione, cur holera ſponte naſcentia citius venirent quàm ſata, Xantho prouidentiæ rem tantùm referente, Æſopus nouercæ comparationem propoſuit, quæ alienos filios, vt terra ſemina, difficiliùs enutriat. Iuſſus concoquere lentem, vnum tantùm lentis granum appoſuit. Iuſſus quatuor pedes porcinos emptos coquere, cùm dominus calũniandi gratia vnum ſurripuiſſet, ſuſpicans ille quod erat factum, pedem viui porci, qui domi nutriebatur, repoſuit. At dominus quum ſurreptum loco reſtituiſſet, Num, ait, quinq; hic porcus habuit pedes? At Æſopus, Minimè: ſed benè duo

duo octo: nam reliqui tres tuo porco ſunt incolumes relicti. Iuſſus ad lauandos pedes peluim adducere, eam ſine aqua parauit, quòd nulla de aqua facta eſſet mentio. Iuſſus item conuiuium ex optimis parare, linguas tantùm emit, dicens has eſſe optimas, ſanè bona ex eis enarrans. Iuſſus contrà ex peſsimis aliud præparare, linguas iterum appoſuit, ſimiliter memorans quanta ex eiſdem mala peruenirent. Poſt hæc quum Xanthus ad ludos profectus in Samiorum theatro vidiſſet aquilam de manu prætoris anulum in aëre ferentem, dixit, mirantibus Samijs, Æſopum ſuum hoc portentum indicare poſſe. Ille ſtatim acceríitus, ante omnia libertatem pro mercede petijt: qua, inſtantibus Samijs, adſequuta, vaticinium ſuum impleuit, qui domino prædixerat, nolentem ſe quandoq; liberaturum. De portento ait, Regem fore externum, qui eorum citò occuparet libertatem. Neq; falſa prædixit: ecce enim paulò pòſt Crœſi Lydorum Regis literæ tributum petentes. Quod Samij cùm Æſopi cõſilio detrectaſſent, Æſopus ante omnia à Rege petitur. Ille fabulam huiuſmodi Samijs propoſuit: Lupi leporibus bellum indixerunt, lepores auxilio canes acceríunt:

cerſunt: Lupi de pace conueniunt,modò canes aduerſariorum in ſuam cuſtodiam dentur: quo facto in lepores auxilio deſtitutos poſteà irruerunt. Tandem negantibus illis profectus eſt ad Crœſum, à quo honorificè ſuſceptus eſt,ac donis cumulatus. Samijs inſuper libertatem impetrauit, quibus meritis ei poſtea fabulas ſuas dicauit. Reuerſus cum ingenti Samiorum lætitia, paulò pòſt Babylonem profectus, & ad Lycurgum Regum Regem, quem docuit ænigmata ſoluere: nam Orientales tũc in his ſapientioresignaris mos erat tributa imperare. Apud hunc igitur in ſuſpicionẽ veniens accuſatione cuiuſdam Eni, quem Æſopus ſibi adoptauerat, diu latuit in quodam ſepulchro. Interim Nectenabo Rex Ægyptius ad Lycurgũ ænigma mittit ſe turrim velle ædificare, quæ nec cœlum nec terram contingat. Ad hoc ſoluendum Æſopus quæſitus, è latebris apparuit magna Regis gratia. Filio adoptiuo ſupradicto iniuriam omnem remiſit, & ſalutaria inſuper de vita præcepta tradidit. Ad poſtremum Delphos profectus, cùm nullum honorem,vt in cæteris locis, accepiſſet, dixit in concione eos ſimiles ligno maris eſſe,quod procul magnum

appar

apparet, prope verò continuò minus: ſic eorum eſſe famam. Illi turbati phialam argenteam ſarcinulis eius clàm alligatam diſcedentis poſuerunt. In itinere itaque deprehenſus ac falſo furti accuſatus, de rupe inſons præcipitatur. Extant eius fabulæ.



THALES MILESIVS.

THALES Mileſius Philoſophus, Examij ac Cleobulinæ filius, primus ſapiens vocatus eſt: Aſtrologiæ ſecreta primus penetrauit, primuſq́; eclipſim Solis prædixit. De Vrſa minore diſſeruit, inanimes animas putauit, idq́; ex magnete lapide. Huic tripus aurea à piſcatoribus Mileſijs reperta, dum res in lite verteretur, ex oraculo Apollinis iudicantis eam ſapient

ſapientiſsimo dari oportere, delata eſt: deinde per manus omnibus ſapientibus tradita, ad Solonem peruenit, qui illam Delphos remiſit ad Phœbum, vt qui Deûm hominumq́; ſapientiſsimus eſſet. A Thalete Ionica fluxit diſciplina, ſicut à Pythagora Italica. Exceſsit iam ſenex Olympiade quinquageſima octaua, dum gymnicum certamen ſpectaret, æſtu ac ſiti lapſus.



ANAXIMENES MILESIVS.

ANAXIMENES Mileſius, Philoſophus, Emiſtrati filius, Anaximandri diſcipulus ſucceſſorq́;, circa quinquageſimã quintã Olympiadem clarus habetur. Hic principium rerum aëra opinatus eſt, quem genere infinitum,

tum, qualitatibus finitum ait, cuius condensatione ac rarefactione cuncta gigni putauit. Motum verò ab æterno esse dixit: terram ex aëre constipato, primùm omnium factam latam, magnam: idcircò non absque ratione super aëra contineri. Solem, Lunam, cæterasq; stellas à terra ortum habere. Aëra infinitum adserebat, eumq; Deum statuebat, vt est autor Cicero Academ. quæst. lib. IIII. Excessit autem è viuis eo die quo Sardis capta est, anno tertio sexagesimæ nonæ Olympiadis.



CHILON LACEDÆMONIVS.

CHILON Lacedæmonius patre Damageto fuit. Floruit temporibus Crœsi Lydo-

rum Regis vltimi, circa Olympiadem quinquagesimam quintam, quo quidem tempore Ephorus fuit. Is inter septem Græciæ Sapientes annumeratus est. Scripsit elegiam ad uersus ferè ducentos. Dicebat autem futurorum prouidentiã ratione comprehendi posse, virtute viri. Indignanti fratri quòd Ephorus ipse non fieret, cùm ille fuisset, Ego, inquit, pati iniurias scio, non tu. Fertur eum ab Æsopo interrogatum quidnam faceret Iupiter, illumq́; respondisse, Excelsa humiliat, & humilia extollit. Rogatus quo differunt periti ab imperitis, Bona, inquit, spe. Quid difficile, Arcana, inquit, reticere, & ocium rectè dispensare, iniuriasq́; tolerare posse. Præcipiebat & hæc: Linguam semper quidem, sed in conuiuio præsertim continendam. Proximo non malè dicendum, alioquin audituros quæ nobis dolebunt. Nemini intentandas minas: esse enim muliebre. Promptius ad amicorum aduersos casus, quàm ad secundos successus accurrendum. Vxorem humilem, apparatu modico ducendam. Mortuo non maledicendum. Honorandam senectutem. Cauendum sibiipsi. Damnum potius quàm turpe lucrum eligendum: nam id semel tantùm dolori esse,

hoc

hoc ſemper. Elato ſecundis rebus non arridendum. Fortem manſuetum eſſe oportere, vt proximi nō tam metuant quàm reuereantur. Diſcendum domui ſuæ ritè præeſſe. Linguam animū præire non permittendum. Superandam iracundiam. Diuinationem non execrandam. Impoſsibilia non appetenda. In via non feſtinandum. Inter loquendum non exagitandam manum: eſſe enim vecordium. Obtemperandum legibus. Quietē adamandam. Inter cæteras eius ſententias hæc maximè placuit, qua dixerat, Lapideis cotibus aurum examinari, & dare apertum ſui documentum, auro autem bonorum malorumq; hominum mentem, cuiuſmodi ſit, comprobari. Eſt & hæc, Sponſioni non deeſſe iacturam. Aiunt illum cùm iam eſſet vetulus, dixiſſe ſibi non eſſe conſcium in tota vita ingratitudinis: vna tamen re ſe modicè moueri, quòd cùm ſemel inter amicos illi iudicandum eſſet, neque contra ius quicquam agere vellet, perſuaſerit amico iudicium à ſe prouocaret, vt ſic nimirum vtrunque, legem & amicum ſeruaret. Maxima præcipuè gloria apud Græcos fuit, quod de Cytheris inſula Laconiæ prædixerat. Nam cùm illius natu-

ram ſitumq́; didiciſſet, Vtinam, inquit, hæc nunquam fuiſſet, aut certè ſimul ac nata eſt, ſubuerſa eſſet. Præclarè ſiquidem ac perſpicaciter præuiderat. Demaratus enim Lacedæmone fugiens, Xerxi conſuluerat in ea inſula naues contineret, & profectò in ditionem hoſtium veniſſet Græcia, ſi id Regi perſuaſiſſet. Poſteà verò Nicias bello Peloponneſiaco euerſa inſula, præſidiũ illic Atheniẽſium ſtatuit, Lacedæmoniosq́; multis cladibus afflixit. Erat in loquendo breuis: atque ob id à quibuſdam mos hic loquendi Chilonius appellatus eſt. Poſtquam ſatis multam ætatem vixerat, obijt Piſæ, quo tempore florebat Aeſopus orator. Amplexus atque oſculatus filium, quòd in Olympia fuiſſet coronatus, defecit immodica lætitia & ſenij imbecillitate. Omnes autem qui ad celebritatem conuenerant, honorificentiſsimè iuſta perſoluerunt. Eſt & in eum Diogenis Epigramma,

Phoſphore reddatur Pollux tibi gratia, quod fert
Chilonis natus tempora cincta pugil.
Serta videns nati genitor, ſi lætus obiui:
Mortem, non mirum: mors mihi talis eat.

Ipſius

Ipſius item imagini inſcriptum hoc fuit diſtichon:

Hic ſapiens forti natus Lacedæmone Chilon,
Qui è numero ſeptem maximus vnus erat.

Breuis quoque ad Periandrum epiſtola legitur apud Diogenem:

CHILO PERIANDRO S.

Iubes vti militia vacem, extorriſq́; agam, quaſi tu in tuto futurus ſis. Atqui ego Monarchæ nec ſua tuta eſſe puto, felicemq́; eum tyrannum cenſeo, cui in ſua domo abſque ſanguine contigerit mori.



DIOGENES APOLLO-
NIATES.

DIOGENES Apolloniates Apollothemidis filius, vir Physicus, & eloquētia & sapientia in primis clarus, floruit Olympiade quinquagesima nona. Hæc autem opinatus est: Elementum esse aërem, mundos infinitos, & inane infinitū, densumq́; aërem ac rarescentem, mundosq́; gignere: nihil ex eo quod nō sit, fieri, neque in id quod non sit, corrumpi. Terram esse rotundam atq; in medio sitam, eamq́; cepisse constantiam secundum eam quæ ex calido est circunferentiam, ex frigido concretionem ac soliditatem accepisse.



XENOPHANES COLOPHONIVS.

XENOPHANES Colophonius Dexij, vel, vt alij, Orthomenis filius, claruit Olympiade sexagesima sexta. Pulsus patria in Zancla Siciliæ moratus est, atque Catanæ. Botonē Atheniensem audiuit, vel, vt alij, Archelaū, vel, vt alij, neminem. Scripsit versus, Elegias, & Iambos contra Hesiodum atque Homerum, subsannans ea quæ de Dijs dixerant. Thaletis & Pythagoræ opinionibus contraria sensit, Epimenidemq; suggillauit. Longā vixit ætatem, sicuti & ipse, vt refert Diogenes quodam in loco, testatur, dicens septuaginta septem annos se à patria peregrinatum esse, cùm tum vigintiquinque esset annorum. Eius placita

vide apud Diogenem. Scripſit autem de Colophonis conditione, & de Italica in Eleam colonia verſus ad duo milia. Filios ſuos proprijs ſepeliuit manibus.



ZENO ELEATES.

ZENO Eleates natura quidem Pyreti, adoptione autem Parmenidis filius fuit, cuius & pædica fuiſſe fertur. Floruit autem Olympiade 60. temporibus Cyri Perſarũ Regis. Dialecticæ inuentor fuit, ac in Philoſophia & Republica vir ſanè nobiliſsimus extitit. Scripſit multa volumina, quæ iniuria temporum interierunt. Is cùm Nearchum tyrannũ deijcere ac profligare voluiſſet, comprehenſus eſt.

eſt. Quo tempore cùm de conſcijs & armis quæ in Lipara habuit, inquireretur, volens ipſum deſertum, deſtitutumq́; oſtendere, omnes illius amicos coniurationis eſſe conſcios dixit. Deinde cùm de quibuſdam dixiſſet quiddam ſibi ad aurem loqui velle, eam mordicus apprehenſam non antè dimiſit quàm dentibus perforaret. Porrò cùm amicos indicaſſet, rogatus à tyranno eſsétne alius quiſpiam, dixit, Tu ciuitatis pernicies. Demum præciſam linguam in ora tyranni conſpuit, ciuesq́; continuò facto impetu tyrannum obruerunt. Zeno tamen tyranni iuſſu in cauum lapidem iniectus cõtuſusq́; fuit.



HERACLITVS EPHESIVS.

HERACLITVS Ephesius Blysonis, siue, vt quidam volunt, Herationtis filius, circa 69. Olympiadem clarus est habitus. Fuit autem vltra cæteros alto animo & contemnente omnes. Hesiodum docuit ac Pythagoram, rursusq; Xenophontem atque Hecatæum. Homerum dicebat dignum qui è certaminibus eijceretur, colaphisq; cæderetur: Archilochumq; similiter. Dicebat autem & iniuriam extinguere oportere magis quàm incendium, plebemq; pro lege non secus ac pro muro pugnare. Acriter autem Ephesios carpit, quòd amicum suum Hermodorum eiecerant, dicens: Merētur Ephesij omnes adulti mori, impuberibusq; vrbem derelinquere,

re, quoniam Hermodorũ omnium, quotquot ſunt, præſtantiſsimum expulerunt, dicentes, Noſtrum nemo inæqualis ſit. Cùm autem rogaretur à ciuibus vt leges eis poneret, contempſit, quòd iam ciuitas peſsima conſuetudine imbuta eſſet. Secedens verò ad phanum Dianæ, cum filijs ludebat. Circũſtantibus autẽ Epheſijs, Quid, inquit, miramini ô perditi, nónne præſtat iſtud facere, quàm vobiſcum Rempubl. adminiſtrare? Tandem hominum odio ſeceſsit, vitamq́; in montibus ducebat, olera ac herbas comedens. Atqui ob eam cauſam morbo aquæ intercutis correptus ad vrbem deſcendit, medicosq́; per ænygmata ſciſcitabatur, an poſſent ex imbre ſiccitatem facere. Illis non intelligentibus, ſeipſum boũ ſtabulo includens, & fimo bubulo obruens, eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhaurire poſſe. Vbi verò ne ſic quidem aliquid proficere conſpexit, moritur ſexageſimum agens ætatis annum, ac in foro ſepelitur. Sic autem ſe habet Diogenis Laërtij in eum Epigramma:

Mecum ego Heraclitum mirabar ſæpe, quòd olim
Sic vitam infelix hauſit, & inde obijt.
Nam malus oſſa rigans, & aquoſus corpora langor,
Extincto inuexit lumine mox tenebras.

Fuit à puero non paruæ admirationi: & cùm esset iuuenis, nihil se dicebat scire: vbi verò ad virilitatis annos euasit, nihil ignorare. Neminem quidem audiuit, verùm semet inuestigandæ veritati dedit, omniaq; ex semetipso didicit: vel, vt alij sentiunt, solius Xenophanis auditor fuit. Librum de natura edidit, qui quidem non extat, eumq; tripartitum: nam de Vniuerso, de Rep. & de Theologia in eo disseruit. Illum verò in templo Dianæ deposuit, de industria obscurius scriptum, vt soli eruditi illum legerēt, ne si à vulgo passim legeretur, contemptibilis esset. Theophrastus illum atra bile laborantem, alia semiperfecta, alia aliter scripsisse refert. Semper deflebat humanam sortem, quòd videret vndequaque tot milia hominum malè viuentium. Eius alti animi signum in eo apparet, quòd fratri concesserit regnum. Tantum gloriæ ipsius liber promeruit, vt sectatores habuerit qui appellarentur Heraclitij. Hæc autem quæ sequuntur, illi summatim visa sunt: Ex igne cuncta constare, in eumq; resolui omnia. Fatò omnia fieri, & ex conuersione contraria quæ sint, omnia congruere & coaptari. Animarum item & Dæmonum plena esse

esse omnia. Dixit & de his quæ in mundo contingũt varijs mutationibus ista. Solis eam esse magnitudinem quæ cernitur oculis. Dicitur & id de animæ sensisse natura, nũquam illam reperiri posse, quantalibet quis viæ conficiat spatia, adeò profundam eius esse rationem. Opinionem siue æstimationem sacrum morbum appellabat. Ignem Elementum esse dicit, ignisq́; vicissitudinem tum raritate, tum densitate constare, quæ fiunt omnia. Apertè verò nihil explicabat, fieriq́; omnia per contrarietatem, & fluminis in morem vniuersa decurrere, finitumq́; esse hoc vniuersum, & vnum esse mundum, eumq́; ex igne nasci, & rursus per quosdam ambitus hoc omne seculum per vices ignescere: id autem fato fieri. Ex his verò quæ contraria sunt, id quidem quod ad generationem adducat, vocari bellum & contentionem: quod autem ad incensionem, concordiam & pacem. Mutationem quoq; viam esse suprà infraq; ducentẽ, secundum quam fieri mundum arbitrabatur. Densatũ quippe ignem liquescere, constantemq́; aquam fieri, concretam verò aquam in humum verti, idq́; inter inferiora adesse. Humum ipsam denuo effundi, atque ex ea fieri

hum

humorem.Ex eo autem reliqua fermè omnia ad euaporationem eam referens,quæ ex mari fit , ipſamq́; ad ſuperiora viam eſſe. Porrò euaporationes fieri ex terra & mari, alias quidem perſpicuas & liquidas , alias verò tenebroſas. A liquidioribus ignem , à reliquis humorem incrementa capere. Aërem verò cuiuſmodi ſit,non ſignificat:eſſe tamen ſcaphas per concauum ad nos conuerſas , in quibus conuenientes euaporationes liquidas reddere flammas quæ ſint ſydera dicit. Eſſe autem lucidiſsimam calidiſsimamq́; Solis flammam: namq́; aſtra cætera remotiora eſſe , neque adeò terræ vicina , atque ideò minus lucere, minusq́; calefacere. Lunam quæ terræ vicinior ſit, non per liquidum locum deferri. Solem in ſuo ſplendore, nulli admixtioni obnoxium durare, certis à nobis ſpatijs menſurisq́; diſtantem.Ex eo igitur magis caleſcere atque illuſtrare. Deficere item Solem ac Lunam, cùm ſcaphæ ad ſuperiora vertuntur , menſtruasq́; figuras Lunæ fieri , dum in illam ſenſim vertitur ſcapha. Diem item ac noctem & menſes, & annos,anniq́; ſtatuta tempora,pluuias & ventos & his ſimilia, ſecundum euaporationes varias fieri.Nam liquidam euaporatio


rationem in Solis circulo inflammatum diem facere, contrariam verò vbi obtinuerit, efficere noctem: atque ex lumine calorem augeri, æstatemq́; perficere, ex tenebris humorem abundare, vnde hyems oriatur. In hunc modum & de causis cæteris disputat. Enimuerò de terra, cuiusmodi sit, penitus tacet ac de scaphis. Et ista quidem eius dogmata fuere. Cæterùm quantum optauerit Darius Rex eius contubernio frui, quamq́; eum despectui habuerit Heraclitus, ex vtriusque apparet epistola, quæ apud Diogenem Laërtium leguntur.



PYTHAGORAS SAMIVS.

PYTHAGORAS Samius Philoſophus, patre Demaratho locuplete ac negotiatore, floruit circa ſexageſimam Olympiadem, regnante Seruio Tullo Romanorum Rege quarto, cuius quidem temporibus docuit in Italia. In Ægyptũ primò, mox Babyloniam, diſcendi curſus ſyderum gratia profectus eſt. Inde regreſſus, in Cretam ac Lacedæmonē peruenit, vt Lycurgi & Minois inclytas ea tempeſtate leges agnoſceret. Denique in Italiam tranſmittens, Crotone conſedit, vbi populos aſſuetos luxuriæ, autoritate ac doctrina, ad frugalem cultum reuocauit. Matronas ad pudicitiam, iuuenes ad modeſtiam cohortari cœpit. Eius paſsim ſanctitate ac vitæ abſtin

abſtinentia inductæ mulieres, auratas veſtes, ornamentaq́; laſciuiora, in templo Iunoni conſecrauere. Pythagoras itaque cùm multos annos Crotone egiſſet Metapontum migrauit, ibiq́; deceſsit quarto anno ſeptuageſimæ Olympiadis. Cuius quidem tanta fuit admiratio vt eius ex domo templum facerent, eumq́; pro deo colerent. Habuit autem dum in viuis eſſet vxorem Theano nomine, Brentini Crotoniæ filiam, ex qua filiam Damonem habuit.



PHERECYDES SYRVS.

PHERECYDES Badis filius, Syrus, Pittaci auditor, vixit circa ſexageſimam nonam Olympiadem. Primus de natura & de Dijs

ſcripſiſſe fertur. Plurima de eo & ſtupenda memorantur. Deambulans enim ſecus littus Pſamium, cùm intuitus fuiſſet nauem plenis velis currentem, pòſt paululùm mergendam prædixit, atque vt dixerat ſe inſpectante contigit. Hauſtam rurſus aquam è puteo cùm biberet, poſt diem tertium terræ motum futurum prædicauit, atque ita factum eſt. Cùm Meſſanam aſcendiſſet in Olympiam, Perilao hoſpiti conſuluit, vt cum tota familia inde migrare properaret: quòd cùm hoſpes neglexiſſet, Meſſana paulo pòſt ab hoſtibus capta fuit. Variæ de eius morte feruntur opiniones. Ego autem eum pediculis conſumptum obiiſſe diem exiſtimo, quod & ipſe in epiſtola ad Thaletem annuit.



ALCMÆON CROTO-
NIATA.

ALCMÆON Crotoniates Pirithi filius septuagesima vixit Olympiade. Pythagoram audiuit,& vt plurimum in medicina versatus est. Disputauit de natura, dicens multas rerum humanarum causas. Primus de naturæ tatione scripsit. Sempiternam naturam Lunam habere dixit: animam verò immortalem,moueriq; perpetuò instar Solis.



EPICHARMVS COVS PYTHAGORICVS.

EPICHARMVS Cous, Elothalis filius, clarus habetur Olymp. 70. Alexandro Amyntæ filio decimo Macedonum Rege imperante. Pythagoram audiuit. Deinde in Siciliã profectus peruenit Megara, inde contendit Syracuſas. Commentaria ſcripſit, in quibus de natura rerum, de ſententijs, de medicina diſſeruit. Obijt autem anno ætatis ſuæ nonageſimo.



PROTAGORAS ABDERITES PHILOSOPHVS.

PROTAGORAS Abderites floruit circa ſeptuageſimam quartam Olympiadem, Dario Artaxerxe Longimano Perſis imperante. Domi Democriti auditor fuit, natus Menandro patre Thracum locupletiſsimo, qui & Xerxem aduerſus Græcos proficiſcētem, domo muneribusq; excepit: ob quam liberalitatem magi qui cum Rege erant, eius filium Protagoram, tunc adoleſcentem, ſua diſciplina erudierunt: impetrata tamen prius à Xerxe venia. Nam iniuſſu Regis eam communicare illis non licebat, quòd de Dijs non bene ſentirent, dubitarentq;, eſſent necne. Illis quoque clàm ſacrificabant, ne clara reli-

gionis profeſsione illis ſeruire, aut per illos aliquid poſſe viderentur. Ex hac igitur conſuetudine & ritu Protagoras ab Athenienſibus accuſatus ſponte exulauit. Quumq; ſparſas toto orbe triremes Athenienſium videret, paruo ſe nauigio credens inſulas luſtrauit, vbi tunc mercede dicitur primus omniũ profiteri cœpiſſe. Scripſit libellos quoſdam qui recenſentur apud Diogenem, qui quidem non extant. Cùm ad nonageſimũ ætatis ſuæ annum perueniſſet, nauem conſcendit, in Siciliam nauigaturus, niſi ei fata obſtitiſſent: quæ illi in medio curſu vitæ filum abruperunt.



ARCHELAVS ATHENIENSIS.

ARCHELAVS Atheniensis patrem habuit Apollodorum, vel, vt alij, Mydonem. Claruit ſeptuageſima quarta Olympiade, temporibus Xerxis quarti Perſarum Regis. Anaxagoræ diſcipulus fuit, & Soſicratis magiſter. Hic primus ex Ionia phyſicam philoſophiam Athenas inuexit, & appellatus eſt phyſicus: quòd in eum Philoſophia deſierit naturalis, Socrate ethicen introducente. Quanquam ne hic quidem Ethicæ rudis fuit, namq; de legibus philoſophatus eſt & de honeſto & æquo. Duas eſſe generationis cauſas aſſerebat, calidum & frigidum: animalia de limo nata, iuſtumq́; & turpe non natura conſtare, ſed lege. Primus vocem aëris percuſſum de-

finiuit. Mare in concauis per humum veluti colatum consistere dixit, maximumq; sydetum Solem, & omne hoc infinitum appellauit.



PINDARVS LYRICVS POËTA.

PINDARVS genere Thebanus, temporibus fuit Æschyli poëtæ, & Persarum expeditionis in Græciam sub Xerxe quarto Persarũ Rege, circa sceptuagesimam quartam Olympiadem. Duas suscepit filias. A patre tibiam primùm, mox ab Hermione lyrã edoctus est. Eius gratia Lacedæmonij in reliquã Bœotiam sæuiẽtes Thebis pepercerunt. Altissimus verborum & sententiarum copia fuit, grauitate arduus, constructione ac ordine immensus

ſus ac prolixus: &, vt vno verbo dicam, inimitabilis. Scripſit autem epitomen vniuerſæ Iliados Homeri, quæ non extat.



ANAXAGORAS CLAZOMENIVS PHILOSOPHVS.

ANAXAGORAS Hegeſibulo ſiue Eubulo patre, Clazomenius, Anaximenis fuit in primis ſtudioſus, vixitq́; Olympiade 75. Hic non modò generis gloria & opibus, verùm animi quoque magnitudine clariſsimus fuit. Quippe qui vniuerſum matrimonium ſuis ſponte conceſsit: quo cùm ab eis inſimularetur negligentiæ, Quid ergo, inquit, nónne vos iſta curatis? Ab eis profectus, ad ſpeculandam rerum naturam ſe contulit, rei & pu-

blicæ & priuatæ omnino negligens: adeò vt cuidam eum ita cõpellanti, Nulla ne tibi patriæ cura eſt? Dixerit, Mihi verò patriæ cura & quidem ſumma eſt, digitum in cœlum intendens. Vixit ann. 62. Defecit autem Olympiade 85.



AESCHYLVS TRAGICVS ATHENIENSIS.

AESCHYLVS Athenienſis Tragicus, Euphorionis filius, Euphorionis & Bionis pater, vixit circa ſeptuageſimam ſextam Olympiadem, temporibus Xerxis 4. Perſarum Regis. Primus grauitate perſonarũ & coloris diſtinctione vſus eſt. Scripſit Elegias, & Tragœdias 90. Hoc autem modo moritur: dum præſciuiſſet ſe ex ictu ſupernè proueniente

morit

moriturum, tecta vitauit, ac ſub dio degere cœpit. Sed fatum mutare non vitare valuit. Siquidem aquila deſuper volitans, teſtudinem, quam pedibus gerebat, ſuper caput eius pilis vacuum, tanquam ſuper petram, quo fractæ teſtudinis carne veſceretur, eliſit: eoq́; ictu peremptus eſt poëta anno quinquageſimo octauo ætatis ſuæ.



DEMOCRITVS MILESIVS.

DEMOCRITVS Mileſius Abderites Philoſophus, Damaſippi filius, floruit 79. Olympiade, Dario Artaxerxe Longimano Xerxis filio Perſis imperante. Pythagoræ imitator, non tamen auditor fuit. Cùm duos haberet fratres maiores natu, diuiſumq́; eſſet patrimo-

nium

nium minorem elegit portionem quæ pecunia conſtabat, quam breui tempore peregrinando abſumpſit. Nam primùm ad Ægypti ſacerdotes cõtendit, ab illis Geometriam accepturus. Inde rubro mari emenſo, ad Chaldæos, & Gymnoſophiſtas, in Indiã penetrauit. Poſtremò Athenas rediјt ad Socratem, vbi gloriatus eſt ſe ignotum omnibus fuiſſe. Tandem cùm ex peregrinatione rediſſet, humillimè vixit, atque à Damaſo fratre propter ſummam inopiam nutritus eſt: quippe qui omnem ſubſtantiam, quæ tamen centum excedebat talenta, conſumpſerat. Cùm verò lege cautum eſſet, vt qui patrimonium conſumpſerat, ſepulchro patrio non dignaretur, eo cognito Democritus magnum Diacoſmum Mileſijs legit. Vnde ſibi talenta quingenta corraſit: prætereà & æreis imaginibus honoratus, vitaq; functus, magnificè ſepultus eſt, cùm centeſimum ætatis ſuæ annum exceſsiſſet. Multa quidem ſcripſit, quibus tamen omnibus magnus & paruus Diacoſmus præferuntur. Verùm ex his nihil prorſus extat.



EMPEDOCLES AGRIGENTINVS.

EMPEDOCLES Agrigẽtinus, filius fuit Metonis, vel, vt alij, Archinomi, vel, vt alij, Xeneti. Fratrem habuit Callicratidẽ. Audiuit primum Parmenidẽ, qui quidem, vt inquit, Porphyrius apud Suidam, eum habuit in delicijs. Alij autem dicunt eum diſcipulum fuiſſe Telauges Pythagoræ filij. Floruit 80. Olympiade, Regnante Dario Artaxerxe Longimano Perſarum Rege quinto. Gorgias Leontinus Rhetor eius diſcipulus fuit. Philoſophus, phyſicus, & verſificator clarus euaſit. Is noctu à ſocijs clàm diſcedens, in ardentem caminum montis Ætnæ ſe demiſit, immortalitatis cupidine adductus: ſed eius crepidæ ex cam

camino per flammam reiectæ rem patefecerunt: quippe qui calciari solebat ære. Horatius:

– Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus Aetnam
Insiluit.

Scripsit de rerum natura versibus, vt apud Romanos Lucretius.



HIPPASVS METAPONTINVS.

HIPPASVS Metapontinus Pythagoricus quo tempore floruerit, non satis compertum habemus: attamen puto eum vixisse octogesima Olympiade. Aiebat definitum esse tempus mundi mutationis, finitumq́; hoc vniuersum esse, ac semper moueri. Nullum autem opus reliquit.



MELISSVS SAMIVS.

MELISSVS Samius Ithegenis filius, floruit 84. Olympiade, ſub Dario Artaxerxe Longimano Xerxis filio Perſarum Regum quinto. Parmenidis auditor fuit,& cum Heraclito aliquando in colloquium venit, quo tempore illum etiam ignorãtibus commendauit Epheſijs, ſicuti Democritum Hippocrates Abderitis. Fuit autem & ciuilis imprimis vir, ciuibusq; maximè acceptus ac charus. Vnde & præfectus claſsis magna virtutis documenta dedit. Placuit autem ei vniuerſum infinitum eſſe & immutabile, atque immobile, & vnum, ſibijpſi ſimile ac plenum, motumq; non eſſe, verùm videri eſſe. De Dijs nihil definiendum dicebat, neque enim illorum certam eſſe cognitionem.



ARISTOPHANES POËTA COMICVS.

ARISTOPHANES poëta Comicus, Rhodius, siue Lindius genere, lege Atheniensis, patre Philippo, floruit Olympiade octogesima quarta. Inuenit tetrametrum & octometrum. Filios habuit Ararota, Philippum, & Philetærum comicos omnes. Extant eius comœdiæ vndecim: scripsit autem quinquaginta quatuor. Is Atticæ linguæ nobilitate adeò excelluit, vt ad Dionysium missus fuerit, vt eius sermonis peritissimus. Socratis æmulus fuit, quem exagitat & insectatur in Nubibus.



ARISTARCHVS POËTA.

ARISTARCHVS Tegeates Poëta Tragicus, Æſculapio, à quo ex morbo fuit liberatus, pro recepta ſanitate fabulam vouit. Emicuit tempore Euripidis, circa octogeſimam ſextam Olympiadem. Edidit tragœdias ſeptuaginta, vicit duabus.



EVRIPIDES ATHENIENSIS POË-
TA TRAGICVS.

EVRIPIDES Atheniensis Mnesarchi cauponis & Clitonis olerum venditricis filius, natus est Olympiade 75, qua Xerxis classem profligarunt Athenienses. Patri autem eius nato illo, responsum est à Chaldæis, eum puerum cùm adoleuisset victorē in certaminibus fore. Id ei puero fatum esse pater interpretatus athletam debere esse, roborato exercitatoq; filij sui corpore Olympiam certaturum eum inter athletas pueros deduxit. Ac primò quidem in certamen per ambiguam ætatem receptus non est. Pòst Eleusinio & Theseo certamine pugnauit, & coronatus est. Mox à corporis cura ad excolendi animi studium tran

transſgreſſus, auditor fuit phyſici Anaxagoræ, & Rhetoris Prodici. In morali autem philoſophia Socratis. Tragœdiam ſcribere natus annos duodeuiginti adortus eſt. Fertur in ſpelunca tetra & horrida tragœdias ſcriptitaſſe. Mulieres ferę omnes maiorem in modum exoſus eſt. Is cùm in Macedonia apud Regẽ Archelaum eſſet, vtereturq; eo Rex familiariter, rediens nocte ab eius cœna, canibus à quodã æmulo immiſsis dilaceratus eſt, & ex his vulneribus mors ſecuta eſt. Sepulchrum autem eius, & memoriam Macedones eo dignati ſunt honote, vt in gloriæ quoque loco prædicarent,

Οὔποτε σὸν μνῆμα Εὐριπίδης ὤλετό που.

Quòd egregius Poëta morte obita ſepultus in eorum terra foret. Quamobrem cùm legati ad eos miſsi ab Athenienſibus petiſſent, vt oſſa Athenas in terram illius patriam permitterent transferri, maximo conſenſu in ea re deneganda perſtiterunt.



SOCRATES PHILOSOPHVS ATHENIENSIS.

SOCRATES Atheniẽſis Philoſophus Sophronici Lapidarij ex Phanareta obſtetrice filius, claruit Olympiade 86. Audiuit Archelaum Phyſicum: primus omnium de moribus diſſerere cœpit, philoſophiam è cœlo ad res humanas conuertendo: cùm ipſe præter cæteros ſuo tempore mortales, & vita caſtiſſimus, & moribus patientiſsimus fuerit. Exempla vtriuſque rei conſtant: nam & patientiam Gellius pulchro ſcommate refert: Cùm vxorem Xantippem cõtumaciùs ac clamoſiùs in ſe agentem diu tolleraſſet, poſtremò aqua ab ea eſſet perfuſus, cœpit ridens dicere, Sciebam Xantippem tonantẽ quandoq; pluitur

pluituram. Caſtitatis illud ab Æliano memoratur, quòd Zopyrus Phyſiognomus dixiſſe fertur, Socratem ex phyſiognomia omnium libidinoſiſsimum eſſe: Ciuibus autem tanquam falſa loquutum eum ridentibus, Socrates minime mentitum dixit, ſed naturæ vim ſe animæ virtute attuliſſe. Cicero tamen non laſciuum, ſed bardum ac mente ſtupidum & obtuſum dicit. Nihil vnquam eum ſcripſiſſe conſtat, ſed eius diſſertationes à Platone commemorantur. Dæmonem ſe habere fatebatur qui ei futura prædiceret. Accuſatus poſtremò ab Athenienſibus quòd de Dijs male ſentiret, ac in carcere cauſam dicere iuſſus, neglexit, & Lyſiæ orationem elegantiſsimam reſpuit, vt ſcribit Cicero lib. I. de Oratore. Imitatus eſt homo Romanus & Conſularis veterem illum Socratē, qui cùm omniū ſapientiſsimus eſſet, ſanctiſsimeq; vixiſſet, ita in iudicio capitis pro ſe ipſe dixit, vt non ſupplex aut reus, ſed vt magiſter ac dominus videretur eſſe iudicum: quinetiam cùm ei ſcriptam orationem diſertiſsimus orator Lyſias attuliſſet (quam, ſi ei videretur, ediſceret, vt ea pro ſe in iudicio vteretur) non inuitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: Sed


,, (inquit) vt si mihi calceos Sicyonios attulis-
,, ses, non vterer, quamuis essent apti & habi-
,, les ad pedem, quia non essent viriles: sic il-
,, lam orationem disertam sibi & oratoriam,
,, fortem & virilem non videri. Hactenus Ci-
cero qui pluribus persequitur historiam Socratis. Ab Atheniensibus autem condemnatus, cicutam hausit, ex quo diem obijt.



SIMON ATHENIENSIS.

SIMON Atheniẽsis coriarius. Quoties ad eius officinam appellebat Socrates, ex eius dissertationibus omnia quę meminisse poterat notabat. Vnde & ipsius Dialogi σκυτικοὶ sunt appellati, quòd inter huiusmodi opifices sint habiti. Sunt autẽ numero XXXIII. qui

qui vno codice comprehenduntur. De dijs, de bono, de honesto, quid sit pulchrum & honestum, de iusto duo, de virtute quòd doceri non posſit, de fortitudine siue virilitate tres, de lege, de popularitate, de honore, de poësi, de bona valetudine, de amore, de philosophia, de scientia, de musica, quid sit pulchrum, de disciplina, de differendo, de iudicio, de eo quod est, de numero, de diligentia, de operando, de auaro, de iactantia, de honesto, de consulendo, de ratione, de aptitudine, de maleficentia. Floruit sub Perdicca XI. Macedonum Rege, circa 87. Olymp.



CEBES THEBANVS.


CEBES Thebanus Philoſophus, Socratis auditor fuit. Scripſit tres Dialogos: Hebdomen, Phrynichum, & Tabulam, quæ quidem eorum quæ in inferno fiunt, enarratio eſt, & alia quædam. Ex his autem tantùm Tabula extat, reliqua deſiderantur. Floruit ſub Perdicca vndecimo Macedonum Rege, circa 87. Olymp.



CRITO PHILOSOPHVS ATHENIENSIS.

CRITO Athenienſis Philoſophus, Socratis diſcipulus fuit: apud quem liberè permanſit, eiq́; neceſſaria ſuppeditauit. Scripſit Socratis Apologiam. Ipſius liberi, Critobulus, Hermogenes, Cteſippus, & Epigenes, Socratis auditores fuere. Diogenes tradit eum ſcripſiſſe ſeptemdecim Dialogos, qui vno continentur codice, ita inſcriptos, Non ex diſciplinis conſtare probitatem: quid ſit abundare: quid idoneum, ſiue ciuile: de honeſto: de Deo: quid ſit malefacere: de fertilitate: de lege: de artibus: de congreſſu: de ſapientia: Protagoras, ſiue ciuilis: de literis: de poëtica: de honeſto: de diſciplina: de ſcientia: quid

ſit ſcire. Floruit ſub Perdicca vndecimo Macedonum Rege, circa 87. Olymp.



AESCHINES ATHENIENSIS.

AESCHINES Athenienſis Lyſaniæ filius 87. Olympiade floruit ſub Artaxerxe Longimano Perſarum Rege quinto. A puero miræ indolis, laborumq; patientiſsimus fuit. Quocirca à Socrate nunquam diſceſsit, atq; ideò Socrates de illo dicere ſolebat, Solus nos colore nouit Æſchines. Vocatus eſt in ius quòd Socratis nomine dialogos cõplures inuexerat, cùm Socraticã conſtantiam aut copiam non redolerent. Auditores tandem ſibi mercede quæſiuit, deinde in defenſionem innocentium ad ſcribendas orationes iudiciales ſe conuertit.



THVCYDIDES ATHENIENSIS HISTORICVS.

THVCYDIDES Atheniensis Olori filius, filium habuit Thimotheum. Maternum genus à duce Miltiade, Paternum verò ab Oloro Thracum Rege ducebat. Antiphontis auditor fuit. Floruit autem circa octogesimam septimam Olympiadem. Cùm adhuc puer esset Herodotum audiuit: qui cùm eius indolem egregiam animaduerteret, Oloro Thucydidis patri dixit: Bearis ex hac tua pulchra prole: habet enim hic tuus filius promptum animum ad scientias. Nec falsus est quidem, nã suauitate sermonis excelluit, dux eximius bonoq; consilio extitit. Moritur autẽ in propria patria. Historiam conscripsit lib. 8. de bello Peloponnensium & Atheniensium.



ANTISTHENES ATHE-
NIENSIS.

ANTISTHENES Atheniensis Antisthenis filius 88. Olympiade floruit, sub Artaxerxe Longimano Xerxis filio Persarum Regẽ quinto. Socraticus philosophus fuit, acutus magis quàm eruditus, præceptor Diogenis, patientiam & duritiem in Socratico sermone adamauit. Obijt verò phthisicus.



PARMENIDES ELEATES.

PARMENIDES Pyretis filius, Eleates, Xenophanis auditor, vixit Olympiade nonagesima. Primus hic terram globoſam, rotũdam, ac in medio ſitam dixit. Duoq; eſſe elementa, ignem & terram, illum opificis, hanc materiæ tenere ordinem. Generationem hominum ex ſole primùm eſſe ortam. Solem ipſum calidum eſſe ac frigidum. Animam & mentem idem eſſe. Philoſophiam autem & ipſe carmine expreſsit.



EVCLIDES MEGARENSIS.

EVCLIDES Megarenſis Philoſophus clarus habetur Olympiade 90.temporibus Darij Nothi Perſarum Regis quinti. Geometra inſignis fuit. Athenas è patria veniebat vt Socratem audiret, & tempore belli veſtitu muliebri induebatur ne noſceretur. Huius meminit Cicero Academicarum quæſtionũ libro 4.his verbis. Pòſt Euclides Socratis diſci-
„ pulus Megaræns, à quo ijdem illi Megarici
„ dicti,qui id bonum ſolum eſſe dicebant,quod
„ eſſet bonum & ſimile, & ſemper idem. Hos
„ autem ſcripſit Dialogos, Alcibiadem, Æſchinem, Critonem, Phœnices, Lampriam, Amatoriam: ſcripſit item de perſpectiua, de ſpeculis, inſtitutiones muſicæ, librum mendaciorum, librum de diuiſionibus, Elementorum Geometricorum libros quindecim.



SIMMIAS THEBANVS.

SIMMIAS Thebanus Socratis diſcipulus fuit. Claruit circiter nonageſimam Olympiadem. Scripſit autem Dialogos viginti tres, quorum inſcriptiones ſunt hæ apud Diogenem, de ſapientia, de veritate, de muſica, de verſibus, de fortitudine, de philoſophia, de ratiocinatione, de liberis, de doctrina, de arte, de regimine, de decoro, quid eligendum quidue fugiendum ſit, de amico, de ſcientia, de anima, de bene viuendo, de poſsibili, de pecunijs, de vita, quid ſit honeſtum, de diligentia, de amore.



ARISTIPPVS CYRENENSIS.

ARISTIPPVS Cyrenenſis philoſophus Aritadæ filius floruit 94.Olympiade. Socratis auditor fuit. Ab eo emanauit ſecta Cyrenaica. Primus Socraticorum mercedem exegit. Cum Xenophonte ſimultatem geſsit. A Diogene canis Regius eſt appellatus, quòd diuitum eſſet aſſecla,& Dionyſio ventris gratia adularetur. Dicere ſolebat quòd lautior victus nulli eſſet impedimento ad bene viuendũ. Habuit ingenium ad omnia pro tempore, loco, & perſona ſimulanda omnino promptum,& ob hoc Dionyſio præter cæteros charus erat. Tres formoſas meretrices ei in conſpectum dari aliquando Dionyſius iuſſit, eiq; quam ex illis vellet eligendi optionem

nem dedit. Tum ille tres ſimul abduxit, dicens, neque Paridi tutum fuiſſe quòd vnam prætulerit cæteris: quas tamen illico demiſit. Eo luxuriæ aliquando deuenit, vt perdicem quinquaginta drachmis emerit.



XENOPHON ATHENIENSIS.

XENOPHON Athenienſis Grylli filius, floruit 94. Olympiade, temporibus Artaxerxis magni, Perſarum Regis ſeptimi. Auditor Socratis fuit, primusq; philoſophorũ fertur hiſtoriam ſcripſiſſe. Militauit cõtra Perſas, cùm aſcendiſſet Cyrus minor contra fratrem Artaxerxem Regem. Mulierculam habuit nomine Phileſiam, liberos duos, Diodorum ac Gryllum. Quos aliquando Athenas militatũ

misit, vnde quidem Diodorus, nullo præclaro facinore illustris, euasit: Gryllus autem Grylli nepos, inter equites fortissimè dimicans occubuit. Quod cùm resciisset pater, ne lacrymauit quidem: tantùm dixit, Sciebam me genuisse mortalem. Obiit autem Corinthi, ad maturam iam prouectus senectutem, vir cùm in cæteris præstans ac bonus, tum equorum, venationisq́, ac disciplinæ militaris, in primis studiosus, vt ex libris eius intelligi potest. Scripsit autem hæc: De Institutione Cyri Regis lib. VIII. De Cyri minoris expeditione lib. VII. De rebus Græcorum, lib. VII. De Lacedæmoniorum Republ. lib. I. nec integrum: citantur enim multa à Stobæo, quæ in eo nō reperiuntur. De Atheniensium Republ. lib. I. De factis & dictis Socratis lib. IIII. Oeconomica. De Agesilai Lacedæmoniorum Regis laudibus orationem. Pro Socrate apologiam. Hieronem, siue de vita tyrannorum. De redditibus, de arte equestri, equis emendis, pullis informandis, & equo bellicoso. De officio præfecti equitum, & equis ad bellum informandis. De venatione Symposion.



ANAXIMANDER IVNIOR HISTORICVS.

ANAXIMANDER Iunior Hiſtoricus, Anaximandri Philoſophi filius, floruit temporibus Artaxerxis magni Perſarum Regum ſeptimi, circa Olymp. 95. Scripſit Diſſertationes Pythagoræ.



PLATO PHILOSOPHVS.

PLATO Philoſophus Ariſtonem patricium, & Perictionam ſiue Pronam parentes habuit: Claruit Olympiade 96. A corporis habitu egregio Plato dictus eſt, vel ab vbertate orationis, cùm prius Ariſtocles ex aui nomine diceretur. Viginti annos natus Poëticam miro complexus eſt ingenio. Celebratas Tragœdias, atque alia carmina ſcripſit, ſuauiq́; vocis ſono & gracili pronuntiauit. Philoſophiam poſteà amplexus, Poëticã reliquit. Socratis diſcipulus fuit, & Ariſtotelis ac Xenocratis præceptor. Ter militauit, egregiumq́; militem ſe præſtitit. Ter in Siciliam nauigauit: tertiò rediens, venundatus, à Dionyſio tyranno pene extrema paſſus eſt. In Ægypto


Ægypto didicit quæcunque illic magna habebantur. Philoſophiam in moralem, naturalem, & rationalem diſtribuit. Vixit annos 80. obijt autem Olympiade 108. Varia de eius morte ſcribuntur. Scripſit dialogos multos Philoſophicos.



ARCHYTAS TARENTINVS.

ARCHYTAS Tarentinus, Mneſagoræ, vel vt alij Heſtiei filius, Pythagoricus nobiliſsimus fuit. Claruit circa Olympiadem 96. Regnante Artaxerxe magno Perſarum Rege ſeptimo. Hic Tarentinorum Rempublicam rexit, exercitus ductando: nec vnquam ſuperatus eſt. Platonem cùm à Dionyſio necan-


dus esset, per epistolam eripuit. Admirationi summæ apud plurimos fuit in omni virtutis genere. Nam septies ciuibus præfectus est, cum cæteri vltra annum imperare lege prohiberentur. Extant eius apud Diogenem epistolæ binæ, altera ad Dionysium, altera ad Platonem.



PHILOLAVS CROTO-
NIATA.

PHILOLAVS Crotoniata Pythagoricus floruit circa nonagesimam sextam Olympiadem sub Artaxerxe Memnone septimo Persarum Rege. Ab hoc Pythagoricos libros emendos vt curaret, Dioni scribit Plato. Occisus autem est, suspectus quòd tyrannidem inuad


inuadere moliretur. Opinatus eſt omnia harmonia ac neceſsitate fieri, terramq; iuxta primum circulum moueri.



PHÆDON HELIENSIS.

PHÆDON Helienſis nobili familia, vnà cum patria captus, coactus eſt intra cellulam infami ſe quæſtui addicere. Adiecto tamen oſtiolo Socratis contubernio præceptoreq; fruebatur, quoad ipſum Alcibiades ſeu Crito, Socrate monente, redimeret: ex quo liberaliter philoſophiæ operam dedit. Vixit autem circa nonageſimam ſeptimam Olympiadem, temporibus Artaxerxis Magni ſeptimi Perſarum Regis. Socrate & Platone admodum familiariter vſus eſt, quod ex huius

dialogis facile in comperto eſt. Scripſit dialogos quoſdam, qui quidem non extant, & quorum inſcriptiones leguntur apud Diogenem.



EVDOXVS CNIDIVS.

EVDOXVS Cnidius Æſchini filius floruit nonageſima ſeptima Olympiade. Aſtrologus, Geometra, Medicus, ac Legumlator fuit. Tres illi fuerunt filiæ, Actis, Delphis, Philtis. Multa de Aſtrologia ſcripſit, multa item de Aſtronomia ex quibus nihil extat. Socratem & Platonem audiuit, primusq; annum compoſuit. Diem autẽ obijt quinquageſimo tertio ætatis ſuæ anno.



GLAVCON ATHENIENSIS.

GLAVCON Athenienſis nouem in codice vno ſcripſit Dialogos: Phædilum, Euripidem, Amintichum, Euthiã, Lyſitelem, Ariſtophanem, Cephalum, Anaxiphenum, Menexenum. Feruntur eius & alij triginta duo, ſed ſuſpecti & ſuppoſititij. Ex his autem neq; ex illis nulli prorſus extant. A quibuſdam Platonis frater exiſtimatur. Puto eum emicuiſſe circa 97. Olymp.



MONIMVS SYRACVSANVS.

MONIMVS Syracuſanus Diogenis quidem diſcipulus, famulus verò menſarij cuiuſdam Corinthij fuit. Claruit autem Olympiade 98. Ad eum Xeniades qui Diogenem emerat, frequens commeabat, virtutem hominis, & in dicendo vim admiratus: atque ita Monimum in ſui pellexit amorem. Ille enim continuè ſimulata veſania abijcere monetam, omnemq; menſæ pecuniam cœpit: donec à domino repudiatus continuò ſe ad Diogenem contulit. Adhæſit autem & Crateti Cynico ſæpe, cæterosq; id genus ſtudiosè conſectatus eſt. Qua ex re factum eſt vt eum dominus magis adhuc inſanire putârit. Fuit autem vir eloquens ac doctus.

Men

Menander Comicus eius mentionem fecit in comœdia, cui Hippocomus nomen eſt, his verbis.

Μόνιμος τὶς ἦν ἄνθρωπος φιλόσοφος,
Ἀδοξότερος, μικρῷ δὲ, ὁ τὴν πήραν ἔχων.
Πήρας μὲν οὖν τρεῖς, ἀλλὰ καὶ εἰκόνος ῥήματι
Ἐφθέγξατ' οὐδὲν ἐμφερὲς, μὰ τὸν Δία,
Τῷ γνῶθι σαυτόν. οὐδὲ τοῖς βοωμένοις
Τούτοις. ὑπὲρ δὲ ταῦτα ὁ προσαιτῶν καὶ ῥυπῶν:
Τὸ γὰρ ὑποληφθὲν τύφων εἶναι πᾶν ἔφη.

Adeò verò grauis ac conſtans fuit, vt, contempta gloria ſolam veritatẽ appeteret. Scripſit autem ludicra ſententijs ſerijs permixta.



MENEDEMVS.

MENEDEMVS Phædonis Clisthenis filij ex familia Theopropidarum, filius fuit, viri sanè nobilis, sed opificis ac pauperis. Alij tabernaculorum sutorem fuisse tradunt: quocirca quum decretum quoddam tulisset, reprehensum ab Alexinio quodam, quòd scilicet non conueniret sapienti, neque tabernaculum, neq; decretum scribere. Floruit temporibus Artaxerxis magni Persarum septimi Regis, circa 99. Olymp. Missus ab Eretriensibus in Megaram præsidio futurus, contendit ad Platonem in Academiam, inq; illius retia non inuitus incidit, deseruitq; militiam. Cæterum Asclepiade Phliasio ad se illum protrahente, Megaris apud Stilponem egit, eiusq; ambo

ambo auditores fuere. Inde nauigantes Elidem Anchipylo, & Moſcho Phædonis diſcipulis congreſsi ſunt, atque tum adhuc ἠλειακοὶ appellabantur, poſteà verò ab Eretria Eretrici vocati ſunt. Conſtat Menedemum honeſtate ac grauitate fuiſſe celebrem. Adeò autem ea grauitate inſignis fuit, vt Eurylochus Caſſandræus cùm ab Antigono accerſeretur, vnà cum Cleippide Cyziceno adoleſcente, abnuerit: metuebat enim ne id Menedemus preſentiret: erat enim ſummæ in obiurgando grauitatis, atq; præcipuæ autoritatis. Deniq; cùm adoleſcens in illo motu temerario ferretur, dixit quidem nihil Menedemus, cæterùm ſumpta feſtuca pingebat in pauimēto traiecti figuram, dum interim, ſpectantibus omnibus, adoleſcens inſigni contumelia notari ſe intelligens, abceſsit. Hierocles in Piræo de Amphiarao illum obtundebat, & cùm plurima de Eretriæ loqueretur excidio, nihil aliud loquutus eſt, tantùm rogauit, quid in eum Antigonus traijcit. Audacter exultanti adultero, Ignoras, inquit, non modò braſsicæ ſuccum iucundum, ſed & raphano. Sciſcitanti cuidā an vxor eſſet ducenda ſapienti, Non ego, inquit, tibi ſapiens videor? Et cùm annuiſſet ille,

ille, At ego, ait, duxi. Gloriæ auidum ignominiæq; metuentem fuiſſe tradunt. Magnanimus fuit vir, & liberalis. Corporis in eo iam ſene habitus & ſtatus durauit qui fuerat in iuuene, athletæ inſtar firmus, validus atq; aduſta facie, obœſus item & attritus fuit, mediocrisq; proceritatis. Erat in ſuſcipiendis amicis omni officio deditus: & quia parum ſalubris erat, Eretria conuiuia ſæpe inter poëtas muſicosq; celebrabat. Amauit Aratum & Lycophronem Tragicũ poëtam, Antagoramq; Rhodium, ſed maximè omnium ſtudebat Homero. Deinde etiam lyricis, deinceps Sophocli: atq; Achæo inter Satyros veluti ſecundas partes, Æſchylo autem primas ſemper dabat. Falluntur qui illũ nihil præter Euripidis Medeam legiſſe dicunt. Magiſtros Platonem & Xenocratem, prætereaq; Paræbatem Cyrenaicum aſpernabatur. Stilponem ſolum admiratus eſt: de quo dum aliquando interrogaretur, nihil aliud dixit, niſi, Liberalis eſt. Erat illi ingeniũ varium atq; callidum, & in componendo ita orationem accomodabat, vt quum vellet emergere non proſpiceretur, atque ideo difficile illi occurreretur. Verſabat omnia, infinitamq; orationis copiam fundebat.

bat. Acerrimus itē erat in concionibus. Scribit Heraclides apud Diogenem decretis eum fuisse Platonicum, Dialecticem autem aspernatum fuisse. Porrò in quæstionibus ita pugnax erat, vt non prius discederet, quàm in eius oculis ardentis spiritus indicia deprehenderentur. Verùm cùm verbis esset talis, factis tamē erat patientissimus. Amicitias piè sanctéq; tuebatur, vt ex ea, quæ illi cum Asclepiade fuit, coniunctione constat, quæ profectò adeò insignis erat, vt nihil à Pyladis distaret beneuolentia. Verùm maior natu erat Asclepiades, ita vt ipse poëta, Menedemus verò histrio diceretur. Vxores quoq; ambos duxisse fama est, Menedemum matrem, Asclepiadem filiam: hunćq;, cùm eius defuncta esset vxor, Menedemi cepisse coniugem: qui quidem, quòd Reipubl. præesset, aliam duxit nobilem & locupletem: nihilominus quoniam communis eis erat domus, rei familiaris administrationē priori vxori permisisse. Asclepiades tandem ante illum vita excessit Eretriæ, iam longæuus, cùm vnà diu memorabili beneuolētiæ suauitate vixissent. In hunc autem modum conuiuia faciebat Menedemus. Prius ipse cum duobus aut tribus

bus prandebat, dum dies in vesperam vergeret. Tum verò vocabat quispiam eos qui aduenerant & ipsos iam cœnatos. Itaque si qui citius venissent, percontabantur exeuntes, quid esset appositum, ac recens id esset nécne: & si quidem vel olusculum vel salsiusculum quippiam audissent, recedebant: sin verò carnes, ingrediebantur. Lectulis æstate *stoream vel mattam, hyeme veruecum pelles superponebant. Porrò puluinar sibi afferri oportebat. Poculum quod circumagebatur *cotyla maior non erat. Bellaria illis fabæ ac lupini. Interdum verò & pyra vel mala punica, & eiusmodi tum matura tum præcocia, sæpe & caricæ.

Græc ψίαθος, Gall. natte.

Cotyle uini pēdit uncias 11. scr. 2. obol. 1. & sil. 1.

Primò ab Eretriensibus contemptui haberi cœpit, canisq; ab eis ac delirus appellari: posteà verò in summa admiratione omnium fuit, adeò vt ciuitatis quoque gubernacula sibi traderentur, legationibusq; crebris ad Ptolemæum & Lysimachum, præterea ad Demetrium functus, vbique honoratus est. Cumq; illi ciuitas ducenta quotannis talenta persolueret, quinquaginta remisit. Tandem falsò insimulatus quòd ciuitatē traderet Ptolemæo, cùm se per epistolam ad Demetrium

purg

purgaſſet, permanente tamen Æſchylo cum Ariſtodemo in accuſatione, clàm exijt, atque Oropi moratus eſt in Amphiarai phano. Vnde profectus mœrens & patriam clanculum ingreſſus, vxorem ac filias ſumens, ſe ad Antigonum contulit, ibiq́; vitam mœrore terminauit, poſtquam totos ſeptem dies cibo abſtinuiſſet. Exceſsit autem anno ætatis ſeptuageſimo tertio.



DEMOSTHENES ORATOR ATHENIENSIS.

DEMOSTHENES Orator facundiſsimus, Demoſthenis gladiorum fabri & Cleobulæ filius, vixit circa centeſimam & quintam Olympiadem. Is à patre ſeptennis adhuc

patrimonium ſatis amplum accepit: quod à tutoribus malè adminiſtratum dum in iudicio repetit, dumq; in cauſa propria diſertus eſſe ſtudet, ad alienas etiam ſe cauſas concinnat. Eius mens primò non potuit ſatis intelligi, cùm lingua voceq; laboraret: verùm ſtudio ac exercitatione incredibili actionem hanc ingratam in ſuauiſsimam commutauit. Sæpe duos vel tres menſes cõtinuos non ceſſabat motum corporis fingere, vocem exercitare, chartis impalleſcere, abraſa etiã parte capitis, vt exeundi facultatem ſibi ipſi præriperet. Propoſitum eius in Rep. fuit, omnibus Philippi Macedoniæ Regis conatibus obſiſtere. Eo autore ciuitates Græciæ poſt mortẽ Philippi conſpirauere. Exulauit ſub obitum Alexandri. Tandem accerſitus ab Antipatro per nuntium Archiam Tragœdum, qui identidem repetebat fore vt ab eo humaniſſimè ſuſciperetur, venenum è calamo hauſit. Extant eius orationes 62.



ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ.

ARISTOTELES Stagyrites Nicomachi medici & Phæſtiadis filius, natus eſt Olympiade 99. anno vrbis 371. Fuit paruus, gibboſus, & male formatus, balbutiensq́; , ſed diues. Septendecim annos natus Athenas profectus Platonis auditor fuit annis viginti. Vocatus à Philippo Rege in Macedoniam decem annis Alexandrum Magnum inſtituit, cui quàm chariſsimus fuerit, vel ex eo manifeſtè apparet, quòd Stagyram ab ſe dirutam reſtituerit. Eo verò in Aſiam profecto Ariſtoteles Athenas redijt, & in Lycio gymnaſio 13. annis docuit. Poſteà accuſatus quòd de Dijs male ſentiret, cedens inuidiæ, abijt in Chalcidem, ibiq; reliquum vitæ

transſegit. Exceſsit anno ætatis ſexageſimo tertio in Eubœa profugus perſequente Antipatro. Edidit infinita volumina quorum nonnulla extant, reliqua iniuria temporum perierunt.




SPEVSIPPVS ATHENIENSIS.

SPEVSIPPVS Athenienſis, Eurymedontis filius, pago Myrrhinuſius, Potones Platonis ſororis filius fuit. Scribit Cicero lib. I. Academicarum quæſtionum Platonē hunc quaſi philoſophiæ hæredem reliquiſſe. Octo annis ſcholæ Platonicæ præfuit, initium ſumens à 108. Olympiade. Dialogos quoſdam compoſuit qui non extant. Is mœrore impulſus, cùm iam ſenio confectus eſſet, mortem ſibi ſponte conſciuit.



XENOCRATES CHAL-
CEDONIVS.

XENOCRATES Agathenoris filius, Chalcedonius, vixit tẽporibus Philippi Amyntæ filij & Alexãdri Magni patris. Is à primis fermè annis Platonis auditor fuit, eiq; in Siciliã proficiſcenti comes itineris adhæſit. Erat autem hebes ingenio ac tardus, adeò vt cùm illum Plato Ariſtoteli conferret, alterum fręno, alterum calcaribus egere diceret. Suſcepit Speuſippum, & præfuit ſcholæ 22. annis, ſub Lyſimacho incipiens, Olymp. 110. Moritur noctu, cùm in ſartaginem fortè offendiſſet, anno ætatis ſuæ 82.



ANAXARCHVS ABDERITES.

ANAXARCHVS Abderites Diomeni Smyrnæi auditor fuit. Floruit circa centesimam & decimam Olympiadem. Is se ne id quidem scire dicebat, quod nihil sciret. Inimicum habuit Nicocreontem Cypri tyrannum. Et cùm illum Alexander aliquando in conuiuio rogasset, quidnam de cœna illa sentiret, dixit, Cuncta magnificè, ô Rex, verùm oportebat iam caput cuiusdam satrapæ apponi, Nicocreontem intuens. Hoc ægre ferens tyrannus, memor iniuriæ, post mortem Alexãdri, cùm naui ferretur Anaxarchus, inuitusq; applicuisset Cyprum, cõprehensum eum in saxum concauum iniecit, iussitq; fer-

rei

reis malleis cædi: ille pœnæ ſuæ negligens, celebre id dictum ingeminauit. Tunde, tunde Anaxarchi vaſculum, nam Anaxarchum nihil teris. Iubente verò Nicocreonte illius præcidi linguã, Anaxarchus præciſam mordicus in eius faciem conſpuit. Hic ob animi conſtantiam & facilem victum fortunatus appellatus eſt. Alexandrum Deum ſe eſſe arbitrantem auertit: cùm enim ex ictu quodam ſanguinem illi fluere vidiſſet, hoc, inquit, quidem ſanguis eſt, nõ autem ille cruor, diuis qualis ſolet eſſe beatis.



DIOGENES CYNICVS.

DIOGENES Cynicus Icesij mensarij filius, Sinopeus fuit. Diocles cum Eubulide autor est eum aufugisse quòd cum patre pecuniam adulteraret. Pallium, vt quidam volunt, duplicatū primus in vsu habuit, ob necessarium vsum, vtque illo se dormiens obuolueret: peramq; tulit, in qua & cibos ferebat, omniq; ad omnia vtebatur loco, & prandens & dormiens & loquens. Quocirca & Athenienses aiebat, Iouis porticum ostendens, sibi condidisse palatium vbi vesceretur. Æstate sese in feruida arena volutabat, hyeme verò statuas niue perfusas amplectebatur, omni ex parte seipsum ad laborum tolerantiam exercens. Acer item erat in despiciendis

ciendis alijs. Dolium pro domo habuit ad æstus ac frigora versatile. Floruit regnante Alexandro magno, Olympiade scilicet 110. Annò mundi 3627, ab vrbe condita 417. Eius extant in Alexandrum Regem, Platonem, & plures alios Philosophos, scommata. Is cùm apud Corinthios esset, rumorq; percrebuisset Philippum cum exercitu aduentare: videret autem Corinthios omnes trepidos turbari, & pro se quenq; sedulò facere, alium quidem arma apparantem, alium saxa comportantem, alium muros ciuitatis reficientem, alium propugnacula & turres suffulciētem, alium denique aliud aliquid quod ad rem pertineret, subministrantē, se autem nihil habere quod ageret (nemo enim ipsum ad aliquod ministerium adhibebat) cincto circum se pallio, seriò admodum & ipse dolium suum, sursum ac deorsum per cranium volutare cœpit: ac rogante quopiam ex familiaribus quid ageret, Voluto, respondit ille, etiam ego dolium meum, vt ne solus ociosè feriari videar inter tot laborantes. Sectam Cynicorum instituit, quorum quidem hæc in genere sunt placita. Rationalem naturalemq; Philosophiam tolli oportere, moraliq;

ſoli innittendum: idq́; ex ſententia Ariſtonis Chij. Repudiant & diſciplinas liberales. Denique dicunt literas non diſcendas, ne frugi effecti peruertantur alienis. Tollunt & Geometriam & muſicam, & cætera id genus. Placet eis & finem eſſe ſecundum virtutem viuere, quemadmodum & Stoici (nam ſocietas quædam eſt inter has duas ſectas): vnde & Cyniſmum dixere breuẽ ad virtutem viam. Placet item eis ſimplex & parabilis victus: quippe qui ſobrijs cibarijs vtuntur, & ſolis pallijs. Diuitias, gloriam, nobilitatemq́; contemnunt. Plerique etiam herbis & aqua tantùm frigida vtuntur, operimẽtisq́; fortè oblatis & dolijs, ſicut hic noſter Diogenes, qui dicebat Deorũ proprium eſſe nihilo indigere: eorum verò qui Dijs eſſent ſimiles, minimis egere. Virtutem dicunt eſſe docibilem: eſſeq́; minimè reijciẽdum, ſed ſtudioſè colendum, ac ſine peccato ſapientem, & ſimili amicum fortunæ quoque nihil permittendum. Quæ verò inter virtutem & vitia ſunt, indifferentia appellant. Et hæc ſunt quidem, quæ in genere Cynicis viſa ſunt: redeamus iam ad Diogenem. Is iam ſenex à Scytalo pyrata captus, venundatusq́; Xeniadi Corinthio fuit,

à quo interrogatus quid artis nouiſſet, Scio, inquit, liberis hominibus imperare: tũc eum manumiſit, eiq; liberos ſuos ad erudiendum tradidit: apud quem Diogenes vixit, donec ab amicis redemptus eſt. Exceſsit è morſu canis eodem die, quo Alexander Babylone, qui extremum diem clauſit Olympiade 113, anno mundi 3539, ab vrbe condita 429, Epheſtionis funere celebrato. Diogenis feruntur hæc volumina: Dialogi capitum, ichthyas, gracculus, pardus, plebs Atheniēſiũ, Reſpublica, ars moralis, de diuitijs, Amatorius, Theodorus, Hypſias, Ariſtarchus, de morte, Epiſtolæ: Tragœdiæ ſeptem, Helena, Thieſtes, Hercules, Achilles, Medea, Chryſippus, Oedipus. Plura de Diogene Cynico vide in Diogene Laërtio. Floruit anno mundi 3568, ab vrbe condita 357, Olympiade 96.



CRATES THEBANVS.

CRATES Thebanus Aſcondi filius, ipſe quoque inter ſapientiſsimos Diogenis diſcipulos fuit: vocatus eſt & θυρεπανοίκτης. Floruit circa centeſimam & decimam tertiam Olympiadem. Depoſuit pecuniam apud trapezitas ea conditione, vt ſi quidem filij idiotæ eſſent, eam illis redderet: ſin autem philoſophi, plebi diſtribueret, nihilo quippe egere philoſophos. Cùm Thebis à principe gymnaſij flagris cæſus eſſet, ſiue, vt alijs placet, Corinthi ab Euthycrate, ac pede traheretur, ridebat, dicens,


Ἕλκε ποδὸς τεταγὼν διὰ βηλοῦ θεσπεσίοιο, hoc eſt,
Protractum pedibus detruſit limine ſacro.

Cùm ſentiret ſe morti proximum, in-
ſpic

ſpiciebat ſe, dicens:

Vadis nunc optime curue,
Vadis ad Orci ædes, longa gibboſe ſenecta.

Erat quippe ex ſenectute curuatus.



METROCLES PHILOSOPHVS HIPPARCHIÆ FRATER.

METROCLES Hipparchiæ frater vixit 114. Olympiade. Is cùm prius audiret Theophraſtum Peripateticū, adeò corruptus erat, vt cùm ſæpe inter diſſerendum crepitum ventris emitteret, præ dolore animi domi incluſus moraretur. Hoc agnito Crates Thebanus ingreſſus eſt ad eum conſolaturus, ac lupinis de induſtria voratis, perſuaſit quidem illi primùm verbis, nihil mali feciſſe: fore quippe prodi

prodigiosum, si non & secundum naturam flatum emitteret. Tum verò & ipse in huiusmodi crepitum erumpens illum similitudine rei seruauit, ac verbis in spem erexit. Hincq́ ipsius auditor fuit, euasitq́; vir in philosophia eminens. Libros autem suos combussit, dicens,

Τά δ᾽ ἐς ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα.


Res docebat partim emi pecunijs, vt domum: partim tempore & diligentia, vt disciplinas liberales. Diuitias nocere, nisi quis dignè vteretur. Obijt senex à se ipso suffocatus. Porrò clari eius discipuli fuere Cleombrotus atque Cleomenes.



HIPPARCHIA METROCLIS SOROR.

HIPPARCHIA Metroclis ſoror floruit III. Olymp. Erant autem Maronitæ ambo. Amabat verò Cratis vitam atque verba, neque vlla omnino procorum excellentia potuit auelli, non opibus, non nobilitate, non pulchritudine: ſed hęc omnia ſibi Crates erat, parentibusq́; minabatur ſeipſam, niſi huic traderetur, necaturam. Cùm igitur Crates à parentibus puellæ rogaretur, vti ab hoc illam propoſito auerteret, poſtquam egit omnia, nec perſuaſit, exurgens omni ſua ſuppellectile ante illius oculos expoſita, Hic, ait, ſponſus, hæc eius poſſeſsio eſt, ad hæc delibera: Neque enim eſſe noſtri conſors poteris, niſi eadem

dem ſtudia attigeris. Elegit continuò puella, ſumptoq́; illius habitu vnà cum viro circuibat, & congrediebatur in aperto, atque ad cœnas proficiſcebatur. Dum ei à Theodoro opponeretur pro probro, quòd in tela non exerceretur, reſpondit: Num tibi male de me ipſa ſtatuiſſe videor, ſi tempus quod in telis conſumptura eram, diſciplinæ potius impendi?



ONESICRITVS ÆGINENSIS.

ONESICRITVM quidã Æginenſem tradunt. Porrò Demetrius Magneſius Aſtypalenſem fuiſſe ait, & hic ex Diogenis ludo probatiſsimus. Videtur autem quiddam habere ſimile cum Xenophonte. Ille enim cum Cyro, hic cum Alexandro militauit. Ille Cyri

παιδ'ει


παιδείαν, hic Alexandri ſcripſit initia. Ille Cyri, hic Alexandri proſequitur laudes. Eſt autem & ſtylus vtriuſque ſimillimus, niſi quòd apographus, & quod tranſcriptum eſt diſſentit ab archetypo & exemplari. Floruit regnante Alexandro magno, circa 113. Olymp.



PYRRHO HELIENSIS.

PYRRHO Helienſis Pliſtarchum habuit patrem. Claruit 113. Olympiade ſub Alexandro Magno Macedonum Rege 23. Is pictor primùm fuit, deinde Dryſonem Stilponis filiũ audiuit, poſteà & Anaxarchum. Dymnoſophiſtas in Indiam adijt, Magisq́; congreſſus eſt. Vnde & nobiliſsimè Philoſophiam tra-

ctauit, commentus modum quo de omnibus nihil decerneret: neque quicquam comprehendi posse diceret. Multa illi visa sunt quæ quidem omnia Diogenes recensuit. Fermè autem ætatem nonagenariam vixit.



EPICVRVS ATHENIENSIS.

EPICVRVS Neoclis & Chærestratæ filius, patria quidem Atheniensis, pago verò Chagertius ex Philaïdarum familia, floruit temporibus Alexandri Magni XXIII. Macedonum Regis, circa 113. Olympiadem: natus est autem centesimanona. Is annorum quatuordecim philosophari cœpit in hortis. Summum bonum, non vt Aristippus in voluptate corporis, sed in doloris vacuitate ponebat. Dialect

Dialecticam damnabat, quando philoſophia ſimplicibus ac proprijs rerũ vocabulis comprehendi poſſet. Deos & prouidentiam & officium in vita tollebat. Methrodorum Lampſacenum vnicum in vita comitem & familiariſsimum habuit. Auditor fuit Xenocratis. Cùm triginta duorum eſſet annorum, primùm Mitylenæ & Lampſaci ſcholam inſtituit, demum Athenas migrauit, vbi quoque diem obijt cẽteſima ſeptima Olympiade ſub Pytharato, cùm ſeptuaginta & duos vitæ impleſſet annos. Obijſſe autem eum tradit Hermachus apud Diogenem calculo vrinæ exitum impediente, morbo quatuordecim diebus fatigatum. Quo tempore deſcendit in peluim æream aquis calentibus plenam, vbi dum moneret amicos vt ipſius decretorum memores eſſent, inter verba defecit. Teſtamentum condidit, cuius ſummam, ſiquis fortè requirat, hîc ex Diogene appoſui:

MEA omnia Amynomacho Philocratis filio Batithæ do, Timocratiq; Demetrij filio Potamio ſecundum eam, quæ in metro ſcripta eſt, vtrique factam donationem: ea conditione, vt horum quidem, & quæ in illo ſunt, Hemarcho Agemarchi filio Mityleneo

aſsignent,eisq́;,qui cum illo vnà philoſophar tur, & alijs philoſophiæ ſucceſſoribus illum reliquerit Hermachus, vt in eo philoſophia dare operam poſsint. Vtq́; ſemper hi qui : noſtro nomine Philoſophi appellantur, per durent, Amynomacho & Timocrati eã qua in horto eſt ſcholam, depoſiti iure commen do,ipſorumq́; poſteris. Cauebunt autem ipſi mandabuntq́ hæredibus hortum illum ſer uent, quemadmodum & ipſi, tradantq́; phi loſophantibus ex noſtro nomine. Porrò do mum quæ eſt in Melite, dabunt Amynoma chus & Timocrates Hermacho inhabitan dam, vnaq́; his qui ſecum philoſophantur quandiu Hermachus vixerit. Ex earum au tem rerum reditibus quæ à nobis legatæ ſun Amynomacho & Timocrati, quantum fie poſsit cum Hermacho diuidant: curent v natalis dies parentibus & fratribus ac nob quotannis ſolenniter agatur, intra diem de cimarum Gamelionis, vt etiam in conuent ſolenni eorum qui nobiſcum philoſophar tur, cuiuſque menſis vigeſima die in noſtrar & Metrodori ordino. Curent quoque dier fratrum,Poſidæonis.Inſuper curent diem Po lyæni Metagitnione, ſicut & nos fecimu

Cur

Curæ autem ſit Amynomacho & Timocrati, Metrodori filium Epicurum, filiumq; Polyæni educare, dum philoſophantur, & cum Hermacho degunt. Similiter & Metrodori filiæ curam habeant,& quum ad ætatem peruenerit,tradant eam viro quem elegerit Hermachus ex his qui ſecum philoſophantur, ſitq; illa obtemperans & pareat Hermacho. Dent autem Amynomachus & Timocrates ex reditibus noſtris in cibum his ſingulo quoque anno, vt ipſis quàm commodiſsimè fieri videbitur , id cum Hermacho deliberantes. Faciant item ſecum redituum dominũ Hermachum,vt eius conſilio,qui nobiſcum conſenuit in philoſophia , princepsq; relictus eſt ſcholæ noſtræ,fiant ſingula. Dotẽ verò puellæ, quum ad annos nubiles venerit, dare curabunt Amynomachus & Timocrates quantum eis ſatis eſſe videbitur, ex bonis auferentes, cõmunicato prius cum Hermacho conſilio. Curam item habeant Nicanoris quemadmodum & nos ipſi,vt quotquot nobiſcum philoſophati ſunt , atque res ſuas in communem vſum contulerunt , omnemq; alacritatem oſtendentes , nobiſcum in philoſophiæ ſtudijs conſenuerunt , pro modulo faculta-

tum noſtrarum nulla re, quæ ad victum neceſſaria ſit, egeant. Libros autem omnes noſtros Hermacho tradant. Quòd ſi quid humanum Hermacho contigerit, prius quàm Metrodori liberi ad ætatem perueniant, curæ ſit Amynomacho & Timocrati, vt liberaliter illi educentur, accipiantq́; ex facultatibus noſtris quæcunque illis erunt neceſſaria, curamq́; cæterarum rerum, vt à nobis inſtitutum eſt, agant, vt ſingula, quantum fieri poteſt, fiant. Ex ſeruis autem liberos dimitto Murem, Lyciam, & Lyconẽ, Phædrion item dimitto liberam.

Sequuntur quæ à Diogene Laërtio Epicuri numerantur volumina: De natura triginta & ſeptem, de atomis & vacuo, de amore. Epitome eorum quæ aduerſus Phyſicos ſcripta ſunt, aduerſus Megarenſes dubitationes, raræ opiniones, de ſectis, de plantis, de fine, de iudicio ſiue regula. Chæredemus de Dijs, de ſanctitate, Hegeſionax, de vitis quatuor, de iuſto opere, Neocles. Ad Themiſtam, Sympoſion, Eurylochus. Ad Metrodorum, de viſu, & angulo atomi, de tactu, de fato, de perturbationibus opiniones ad Timocratem, prognoſticon, exhortatorius, de

imagi


imaginibus,de ſantaſia, Ariſtobulus de muſica, de iuſtitia & virtutibus alijs, de donis & gratia, Polymedes, Timocrates tres, Metrodorus quinque,Antidorus duo, de aſtris opiniones, ad Mithrem, Calliſtolas, de regno, Anaximenes,Epiſtolæ.



STILPO MEGARENSIS.

STILPO Megarenſis Philoſophus, natus eſt ſub primo Ptolemæo, qui cœpit regnare Olympiade 114,anno mundi 3643, ab vrbe cõdita 430. Diſcipulus fuit Paſiclei Thebani Cratetis filij, &, vt alij volunt, Euclidis Platonis familiaris. Præfuit Megarenſi ſcholæ. Scripſit autem Dialogos non minus vi-

ginti. Cicero de hoc in libro de Fato ita tra-
„ dit: Stilponem Megareũ Philoſophum, acu-
„ tum ſanè hominem, & probatum tempori-
„ bus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius fa-
„ miliares & ebrioſum, & mulieroſum fuiſſe.
„ Neque hæc ſcribunt vituperantes, ſed potius
„ ad laudem: vitioſam enim naturam ab eo ſic
„ edomitam & compreſſam eſſe doctrina, vt
„ nemo vnquam vinolentum illum, nemo in
„ eo libidinis veſtigium viderit.



DIODORVS PHILOSOPHVS IASEVS.

DIODORVS Iaſeus Amenij filius centeſima decimaquarta Olympiade floruit. Dialecticus erat, primusq; inueniſſe exiſtimatus eſt

eſt inuolutum & cornutum differendi genus. Hic apud Ptolemęum Soterem commorans, cùm à Stilpone ſermones quoſdam Dialecticos interrogatus extemplò nequiuiſſet ſoluere, à Rege increpitus, Cronusq́; in iurgio vocatus, conuiuiū deſeruit, egreſſusq́; librum de ea propoſitione conſcripſit, vitamq́; mœrore finiuit. Cæterùm ne quis hallucinetur, dum de Ptolemæo Sotere loquor, non conuenio cum Funccio, & Epiphanio. Illi enim Ptolemæum Lathurum Ægypti VIII. Regem Soterem cognominant, qui quidem regnare incœpit 165, Olympiade. Quod mihi videtur fieri non poſſe. Si quidem Atheneus Dipnoſoph. lib.IIII. cap.XXIII. De Ptolemæo Sotere in hæc verba ſcribit. Eleatri temporibus noſtris illi dicuntur, qui præficiuntur cōuiuij totius adminiſtrationi, quæ res & honorifica fuit olim & præclara: Nam Ptolemæum Soterem Alexandri Eleatrum etiam vocatum fuiſſe teſtatur Chares libro Hiſtoriarum tertio. At Alexander moritur Olympiade 113. Poſt cuius mortem, vt Iuſtinus refert lib.XIII. Ptolemæo Ægyptus, & Africæ Arabiæq́; pars ſorte venit, quē ex gregario milite Alexander virtutis cauſa proue-

xerat. In quo quidem diſcrimen eſt ducento rum & octo annorũ. Primus ergo Ptolemæu is eſt qui Soter cognominatus eſt.




THEOPHRASTVS LESBIVS PHILOSOPHVS.

THEOPHRASTVS, ex Ereſſo Lesbi ci uitate fuit, Platonem audiuit, Ariſtotelis & diſcipulus & ſcholæ ſucceſſor fuit: vixit auten ſub Ptolemæo Sotere primo Ægypti Rege circa 115. Olympiadem. Theophraſtus vo catus, ob oris & eloquentiæ ſuauitatem, cùn anteà Tytamus appellaretur. Habuit diſci pulos ad duo millia. Exceſsit admodum ſe nex. Quæ ſequuntur ex tot ſuis operibus ex tant:

D

De plantarum hiſtoria lib.x.
De plantarum cauſsis lib.VI.
De lapidibus lib.I.
De piſcibus lib.I.
De igne lib.I.
De ventis lib.I.
De ſignis aquarum & ventorum lib.I.
De vertigine oculorum lib.I.
De laboribus lib.I.
De odoribus lib.I.
De ſudoribus lib.I.
Characterum moralium lib.I.
Metaphyſicorum lib.I.



THEODORVS PHILOSO-PHVS.

THEODORVS Philoſophus ſophiſta Byſantius, qui à Platone vocatus eſt λογοδαίδαλος ſcripſit contra Thraſibulum & Andocidem,& alia multa. Floruit autẽ Olymp. 115. ſub Ptolemæo primo Ægyptiorum Rege. Audiuit autem Anniceridem Dionyſiumq́; Dialecticũ. Finem opinatus eſt gaudium & mœrorem:alterũ conſtare prudentia,alterum verò imprudentia. Bona eſſe, prudentiã atq; iuſtitiam:mala verò,contrarios habitus:media, voluptatem & dolorem. Omnes de Dijs opiniones ſuſtulit. Suſtulit & amicitiam,quòd ea neq; inſipientibus adſit neque ſapientibus. In illis enim ſublato vſu amicitiam quoque euaneſc

nescere. Sapientes verò cùm sibiipsis sufficiant, amicis non indigere. Multa item alia opinatus est, quæ quidem omnia referuntur apud Diogenem lib.11.



CRATES ATHENIENSIS.

CRATES Atheniēsis patre Antigene ortus, pago Thriasius fuit, auditor simul amatorq; Polemonis, illiusq; successor scholæ. Floruit autem 115. Olymp. Arcesilaum habuit auditorem, aliosq; item multos sanè memorabiles. Mortuus in eodem sepulchro quo Polemon conditus est: ita vt quos Philosophiæ studium tam arcto amicitiæ vinculo copularat, eosdem & mors coniunxerit.



DEMETRIVS PHALEREVS.

DEMETRIVS Phalereus Philoſophus Phanoſtrati filius, floruit ſub Ptolemæo Lagi filio primo Ægypti Rege, Olympiade 115. Auditor fuit Theophraſti. Athenis præfuit annos decem, æreisq; ſtatuis honoratus eſt trecentis ſexaginta, quarum plures equeſtres erant, & in curribus ac bigis ſtabant. Diu autem atque præclarè rem adminiſtrauit. Inſidias tandem paſſus à quibuſdam mortis ſententiam abſens excepit. Tandem poſt mortem Ptolemæi Soteris, apud quem ſe contulerat, ab aſpide manum morſus ex vita migrauit, ſepultusq; eſt in Burſirite regione prope Dioſpolin. Extat Diogenis in eius mortem hoc epigramma:

Παρ

Παρ᾽ ἡμῶν ἀνεῖλεν ἀσπὶς τὸν σοφὸν Δημήτριον,
Ἰὸν ἔχουσα πολὺν ἄσμηκτον,
Οὐ στίλβουσα φῶς ἀπ᾽ ὀμμάτων, ἀλλ᾽ ἀΐδην μέλανα.

Cicero in Bruto hæc de eo ſentit: Demetrius Phalereus eruditiſsimus quidem, ſed nõ tam armis inſtitutus quàm palæſtra: itaq; delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat, proceſſerat enim in Solem & puluerem, non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſsimi hominis vmbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem teneramq; reddidit: & ſuauis ſicut fuit, videri maluit quàm grauis: ſed ſuauitate ea qua profunderet animos, non qua perfringeret, & tantùm vt memoriam concinnitatis ſuæ, non cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum à quibus eſſet auditus. Recenſentur à Diogene quidam eius libri.



MENIPPVS PHOENIX.

MENIPPVS & ipſe Cynicus, patria quidem Phœnix, conditione ſeruus fuit, vt tradit Achaicus in Ethicis. Diocles autem Dominum ipſius Ponticum fuiſſe, Batonemq́; vocatum tradit. Cùm verò præ cupiditate pecuniæ importunius peteret, Thebanus fieri valuit. Nihil memoria dignum edidit, quinimo ipſius libri multo riſu referti ſunt, non ſecus atque Meleagri, qui tempote eius fuit. Diuturnus fœnerator fuit, ideoq́; ἡμεροδανειστὴς vocatus. Et quum ad rem eſſet multo plus, quàm par erat, auidior, bonis amiſsis, laqueo vitam finiuit. Quidam eius libros non ipſius eſſe, ſed Dionyſij & Zopiri Colophoniorum tradunt. Eius autem volumina XIII. ſunt:

Næniæ,

Næniæ, teſtamenta: Epiſtolæ compoſitæ ex Deorum perſona, ad phyſicos & Mathematicos grammaticosq́;, & Epicuri fœtus, & eas quæ ab ipſis religiosè coluntur imagines & alia. Hæc ex Diogene & Volaterrano: aliter autem ſentit Suidas. Puto eum ſub primo Ægypti Rege Ptolemæo floruiſſe circa 115. Olymp.



MENEDEMVS SVPERSTITIOSVS.

MENEDEMVS Coloti Lampſaceni diſcipulus fuit. Hic, vt ait Hippobotus, in tantum prodigioſæ ſuperſtitionis venit, vt, ſumpto habitu furiæ, circumiret, dicens ſpeculatorem ſe ex inferno veniſſe ijs qui peccarent, vt deſcendens hæc ibi dæmonibus renuntia-


ret quæ vidiſſet. Veſtis autem talis erat, pulla tunica talaris, aſtricta puniceo balteo, pileus arcadicus capiti impoſitus habens intexta elementa duodecim. Cothurni tragici, barba prolixa, virga in manu fraxinea. Et hæc quidem ex Diogene: Suidas verò de Menippo eadem tradit. Floruit temporibus Ptolemæi primi Ægyptiorum Regum.



POLEMON ATHENIENSIS.

POLEMON Philoſtrati filius Athenienſis, pago Oeetenſi oriundus, vixit ſub Ptolemæo Lagi filio qui & Soter cognominatus eſt, cùm eſſet adoleſcens adeò impudicus ac lubricus fuit, vt pecunias circũferret, quo paratior eſſet & inſtructior ad voluptates implendas. Aliquando

quando verò ex propoſito cum ſodalibus ebrius & coronatus Xenocratis adijt ſcholam. Philoſophus autem illius aduentu nullo pacto perturbatus quod dicere inſtituerat nõ deſtitit. Erat autem ſermo de temperantia. Philoſophũ vbi audiuit aliquoties Polemon, cœpit pauliſper ad mentem redire, ita vt Xenocrati in ſchola ſucceſſerit Olympiade centeſima decima ſexta. Obijt autem iam vetulus pthiſi, corpore ſemiputrido.




THEOCRITVS POËTA SYRACVSANS.

THEOCRITVS Poëta autor Bucolicorum, genere Syracuſanus fuit, patre Simichida, vt ipſe teſtatur:

Σιμιχίδα πᾶ δὴ τὺ μεσαμερίων πόδα ἕλκεις.

Quidã verò Simichidã cognomen ei fuisse dicunt, quòd ſimus eſſet, patrem verò habuiſſe Praxagoram, matrem verò Philinam. Fuit autem auditor Philippiadis & Aſclepiadis, quorum etiam meminit. Floruit temporibus Ptolemæi qui cognominatus eſt Lagous. Cùm autem aptus eſſet ad componenda Eidylia ex eis maximam laudem conſecutus eſt: vnde cùm primùm Moſchus appellaretur, Theocriti nomen meruit.



CRANTOR SOLENSIS.

CRANTOR Solenſis vixit Olympiade 121. Is cùm apud ſuos haberetur in honore, conceſsit Athenas, ibiq; Xenocratis auditor, Polem

Polemonisq; ſocius in dicendo fuit. Reliquit autem commentaria ad 30. verſuum millia, ex quibus quidem nihil extat. Fertur cùm interrogatus eſſet quamobrem ſe ita Polemoni addixiſſet, reſpondiſſe, quia illo neminem neque acutius neq; grauius audiſſet loquentem. Admirabatur præ cæteris Homerum & Euripidem, dicens operoſum eſſe, & induſtriæ plenum proprietate ſeruata tragicè ſimul cum affectu miſericordiæ ſcribere. Obijt autem ante Polemonem aquæ intercutis morbo.



BION BORYSTENITES.

BION Boryſtenites videtur vixiſſe Olympiade 121, quamuis nihil pro certo auſim affirmare. Quibus parẽtibus prognatus ſit, &

quibus ex rebus ad philoſophiam ſe contulerit, rationem ipſemet reddit apud Diogenem his verbis: Pater meus libertus fuit, cubito ſe tergens, Boryſtenites genere, non habens faciem, ſed in facie ſcripturam acerbiſſimi domini: mater autem ex lupanari, nimirum quam huiuſmodi ducere potuit. Deinde pater neſcio quid in rem publicanorum committẽs, cum tota domo venundatus eſt. Me adoleſcentulum haud ingratum orator quidam emit. Is moriens mihi omnia reliquit. Ego tabulas ipſius exurens, cunctasq; conſcindens, Athenas conceſsi, ibiq; philoſophatus ſum. Et hæc quidem de ſuo genere reſpondit. Cratetis auditor fuit. Ad cynicam prius ſectam tranſijt, ſumpto pallio & pera: Deinde ad Theodorea inſtituta ſe conuertit. Reliquit commentarios plures qui non extant. Apohthegmata item plura. In Chalcide tandem vitam finiuit, poſtquàm pœnitentiã egit ſuper his quæ peccarat in Deũ. Nullum enim reuera eſſe, dum in viuis eſſet, affirmarat.



ARCESILAVS PHILOSOPHVS PITANÆVS.

ARCESILAVS Philoſophus Scythi filius, floruit circiter centeſimam vigeſimam primam Olympiadem, ac ex Pitane Æolica ciuitate ortum duxit. Is relicto genitali ſolo Sardeis perrexit, mox Athenas profectus, in Academiam ſe ad Crantorem contulit. Fuit in diſputãdo pertinacior & magno ingenij acumine, vt ſcribit Cicero lib. v. de finibus bonorum & malorum. Platonicã Philoſophiam omnino cõmutauit, nouamq; quandam conſtituit. Ita vt Cicero quarto Acad. quæſt. dixerit eum conſtitutam Philoſophiam, ſicut Gracchus Rempublicam, euertiſſe. Cauillator vocatus eſt. Is cùm ſe nihil ſcire prædica-

ret, nec alios quicquam ſcire patiebatur, omnes turbans ſophiſmatibus. Obijt autem cùm merum immodicè bibiſſet.



STRATO LAMPSACENVS.

STRATO Lampſacenus Arceſilai filius, vir eloquentiſsimus fuit. Floruit autem 123, Olymp.temporibus Ptolemæi primi Ægypti Regis, cuius filium habuit diſcipulũ, Ptolemæum ſcilicet Philadelphũ, à quo talentis octoginta donatus eſt. Scholæ præfuit annis octodecim. Scripſit libros de regno tres, de iuſtitia tres, de bono tres, de dijs tres, de magiſtratibus duos, de vitis, de felicitate, de regia philoſophia, de fortitudine, de inani, de cœlo, de ſpiritu, de natura humana, de generatione

ratione animalium, de concubitu, &c. qui quidem omnes à Diogene commemorantur. Adeò verò exiguam ſuppellectilem habuit vt ſine cenſu mortuus ſit.



TIMON APOLLONIATES NICÆVS.

TIMON Apolloniates, ſeu Nicenus, vir & Philoſophiæ & eloquentiæ ſtudijs præditus, Ptolemæo Philadelpho in primis acceptus, ſcripſit Tragœdias, Comœdias, Satyras, & alia, quorum Antigonus Cariſtius meminit, qui vitam eius conſcripſit. Autor Suidas. Floruit 124. Olympiade.



DIONYSIVS METATHEMENVS.

DIONYSIVS qui Metathemenus appellatus est, Theophāto patre natus est, & ciuitate Heraclia. Is, vt ait Diocles apud Diogenem Laërtium, primò quidem audiuit Heraclidem ciuem suum, deinde Alexinum ac Menedemum, postremò Zenonem. Principiò quidem studiosus omnigenis se poëmatis addixerat. Aratum carè admodum amplexus est, quem & imitari satagebat. Is finem dixit voluptatem: nam cùm in oculorum dolorem incidisset, eo cruciatus acriter, dolorem dicere noluit indifferentem. Floruit sub Philadelpho Ægyptiorum Rege, circa 125. Olympiadem. Discessit tandem à Zenone, seq; ad

Cyren

Cyrenaicos contulit, vbi palàm lustra ingrediebatur, cæteraq; sub omnium gerebat oculis quæ ad voluptatem pertinerent. Cumq; ad octogesimum vitæ annum perneniſſet, inedia consumptus interijt. Eſt autem autor Diogenes eum hæc ſcripſiſſe. De ſedatione perturbationum lib. II. De exercitatione II. De voluptate IIII. De diuitijs, gratia, & ſupplicio. De hominum vſu, De fœlicitate, De antiquis Regibus, De his quæ laudantur, De barbaricis consuetudinibus.



CALLIMACHVS POËTA CYRENENSIS.

CALLIMACHVS Poëta Cyrenæus filius Batti, diſcipulus Hermocratis Iaſci grammatici,

tici, vixit apud Ptolemæum Philadelphum vſque ad Euergetem, bibliothecæ regiæ præfectus Olympiade centeſima vigeſima ſexta. Omne Poëmatis genus attigit. In aduerſarium Apollonium, quem Ibim ficto nomine appellat, poëma acerbiſsimũ ſcripſit, vnde Ouidius nomen & argumentum mutuatus eſt. Edidit Elegias & Epigrammata, & Hymnos, aliaq́; complura, ex quibus nihil extat, præter 22. Epigrammata quæ ſparſim in Florilegio Planudis leguntur.



LYCON TROADENSIS.

LYCON Troadenſis Aſtianactis filius claruit cẽteſima vigegima ſeptima Olympiade, qua quidẽ Stratoni in ſchola ſucceſsit, quam tenuit duos ſupra quadraginta annos. Theophraſtum & Stratonem audiuit. Huic tanta fuit in dicendo ſuauitas, vt eius nomini addita fuerit litera g. Habitu fuit mollis & delicatus. Annos natus ſeptuaginta quatuor obijt, afflictus podagræ morbo.



ARATVS POËTA.

ARATVS poëta Græcus antiquissimus, natus est 124. Olymp. tempore Ptolemæi Philadelphi. Floruit regnante Antigono in Macedonia, apud quem ad extremum vsque in honore vixit. Is optimè de Astrologia iudicio Ciceronis scripsit, qui quidem eius phænomena vertit adolescens, vt ipse testatur li. II. de natura Deorum. Fuit in grammatica Menecratis discipulus, in philosophia Timonis & Menedemi. Versificator excellens euasit. Contẽporaneus fuit Antagoræ Rhodiensis, & Alexãdri Ætoli. Scripsit Phænomena, hymnos in Pana, in medicina quoq; quæ ad compositionẽ theriacæ pertinent: prætereà de moribus, & Epigrammata quædam in Antigoni vxorem,

Epic

Epicedium in Cleombrotum:ſoluta item oratione,epiſtolas,anatomen in Pauſaniam Macedonem,commentaria in Odyſſeam.



LACYDES CYRENÆVS.

LACYDES Cyrenæus Alexandri filius nouæ Academiæ princeps,floruit centeſima vigeſima octaua Olymp. Arceſilao ſucceſsit, vir eximiæ ſcueritatis, quiq́; inſtituti ſui non paucos habuit æmulos. Scholam habebat in horto,quem Attalus Rex fieri curauerat, Lacydiumq́; appellauerat. Obiit cùm ſcholam adminiſtrare cœpiſſet quarto anno 134, Olympiadis, 26.annis in ſchola conſumptis. Mortuus eſt autem ex paralyſi quam ex immodica potatione contraxerat.



HERILLVS CARTHAGINENSIS.

HERILLVS Carthaginenſis vixit circa 128.Olymp. Finem ſcientiam dixit, quod eſt ſemper viuere, cuncta referendo ad viuendum cum ſcientia, ne ignorantia deijciamur. Eſſe autem ſcientiam habitum ex fantaſiarũ acceptione non verbis explicabilẽ. Aliquando dixit nullum eſſe finem, ſed ſecundum caſus varios & res immutari, vt ſi idem æs & Alexandri fiat ſtatua & Socratis: differre autem finem, & eam quam dicit fini ſubiectam: hanc enim, & eos qui ſapiẽtes non ſunt, conſpicari, illum neminem niſi ſolum ſapientem. Quæ autem inter virtutem & vitium ſunt indifferentia eſſe. Eum puerum complures adamarunt, quos Zeno quum vellet auertere, eum tondere coëgit.




ZENO CITTICVS.

ZENO Citticus, Mnaſij, vel Demei filius, floruit centeſima vigeſima nona Olympiade, temporibus Antigoni Gonatæ Macedonum Regis. Collo fuit in alteram partem inclinatiore, gracili corpore, ſtatu procero, & atra cute. Crura habuit turgida & imbecilla. Stöicæ ſectæ autor fertur. Cratis, Stilponis, & Xenocratis auditor fuit. Antigonum Regem auditorem habuit. Extant adhuc apud Diogenem duæ epiſtolæ, altera Antigoni, altera verò Zenonis, quibus propalam eſt quàm deſiderarit Antigonus Zenonis cõtubernio frui. Obijt nonageſimo octauo ætatis ſuæ anno, hoc modo: cùm è ſchola abiret, illiſit perfregitq; digitum. Manu verò terram feriens,

dixit illud ex Niobe,

Ἔρχομαι, τί μ' ἀϋεις.

Continuoq; se strangulans interijt. Eius verò placita, & gesta siquis requirat, Laërtium consulat.



CLEANTHES ASSIVS PHANII FILIVS.

CLEANTHES Assius Philosophus, Phanij filius, clarus habetur Olymp. 129. Cratetis discipulus, deinde Zenonis, cuius etiam successor fuit. præceptor Chrysippi philosophi Solensis, & Antigoni Regis. Is primò pugil fuit. Deinde Athenas profectus desiderio philosophiæ captus est. Eius fuit ea in tolerandis laboribus & perferendis alacritas, vt alter Hercules dictus fuerit. Nam cùm non haberet

haberet vnde ſe alere poſſet, noctu mercede aquam ex puteis hauriebat, luce philoſophiæ ſtudijs exercebatur. Moritur autem hoc modo. Tumuit illi ac putruit gingiua: medicis autem intercedentibus, biduum totum cibo abſtinuit, atque in tantum conualuit, vt medici illi omnia conſueta permitterent. Ea is licentia minime vſus eſt, ſed & contrà ſine cibo perſtitit, dicens iter iam ſibi confectum eſſe, atque ita inedia conſumptus exhalauit animam, cùm vt quidam volunt, Zenonis æquaſſet annos, eumq́; audiſſet annos octodecim. Extat Diogenis in eum hoc Epigramma:

Αἰνῶ Κλεάνθην, ἀλλὰ μᾶλλον ἀΐδην,
Ἰδὼν γὰρ αὐτὸν πρέσβυν οὐκ ἠνέσχετο
Μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεσιν ἐν φθιτοῖς ἔχειν
Τοσοῦτον ἀντλήσαντα τοῦ βίου χρόνον.

Multa ſcripſit quæ non extant, quorum quidem catalogum vide apud Diogenem libro VII.



LEVCIPPVS ABDERITES.

LEVCIPPVS Abderites Zenonis auditor fuit. Floruit temporibus Philadelphi ſecundi Ægyptiorum Regis, circiter 130. Olymp. Placebat illi infinita eſſe omnia, & in ſeipſa commutari, atq; vniuerſum iſtud inane eſſe plenumq́; corporibus, eisq́; in hoc inane incidentibus & in ſe inuicem implicatis, mundos fieri, atque ex motu, ſecundum illorum incrementa, naturam ſyderum fieri. Solem in circo maiori ſecundùm Lunam ferri, terram vehi, ac circa medium verti, figuramq́ illius tympano ſimilem. Primus hic atomos principia putauit. Et hæc quidem ſummatim illi viſa ſunt.



POLYBIVS HISTORIOGRAPHVS.

POLYBIVS Lyci filius, Megalopolites ex Arcadia, præceptor Scipionis Aphricani. Ptolemæo Euergetæ regnante, floruit anno mundi 3720, Olymp. 134, ab vrbe condita 509. Scripſit Romanam hiſtoriam lib. XL. Incipit à fuga Cleomenis Spartiatæ, & Perſei Philippi filij Macedonum Regis. Poſt hæc Romana attigit. Sub Philopœmene pugnauit aduerſus Machanidam tyrannum Lacædemoniorum, vt ipſemet teſtatur libro hiſtoriæ vndecimo, his verbis, Πολυβίῳ δὲ ἐπέταξε τῷ ,,
μεγαλοπολίτῃ τοὺς περιλειπομένους, καὶ τοὺς δια- ,,
κεκλικότας τὴν φυγὴν Ἰλλυρίους καὶ θωρακίτας ,,
καὶ μισθοφόρους συναθροίσαντι, μετὰ σπουδῆς ἐφε- ,,

 δρεύειν

„ δρέυειν τῷ κέρατι τῆς φάλαγγος, καὶ τηρεῖν τὴν
„ ἐπάνοδον τῆς ἐκ διώγματος ἀναχωρούντων.

Quinque tantùm primi eius hiſtoriæ reperiuntur perfecti libri, & fragmenta ſequentium duodecim. Reliqui viginti tres omnino deſiderantur. Scripſiſſe autem Polybium XL. libros vel ex ſeipſo conſtat lib. III. Quanta autem diligentia ac fide, ex eo videre eſt quod teſtatur libris tertio, & decimo, de ijs videlicet ſcripſiſſe, quibus non ſolùm ſpectator, verùm etiam vt plurimùm hortator atq; adiutor interfuerit: eaq; de cauſa tot orbis regiones peragrauit, & Alpes aſcendit, quo videret viam qua Annibal in Italiã penetrauit.




APOLLONIVS GRAMMATICVS.

APOLLONIVS Rhodius, quòd in Rhodo agitaret: Alexandriæ autem natus, Callimachi diſcipulus, æqualis Eratoſthenis Grammatici, cui etiam ſucceſsit in præfectura bibliothecæ apud Ptolemæum Euergetem. Scripſit Argonautica verſu Hexametro.



CHRYSIPPVS SOLENSIS.

CHRYSIPPVS Solenſis philoſophus Apollonij filius, auditor Cleanthis fuit & cum eo ſtoicam ſcholam tenuit. Is Epicuri ſcripta furatus eſt, ac pro ſuis emiſit. Dum aliquando à diſcipulis ſuis ad ſacrificium vocatus eſſet, tantum meri dulcis hauſit, vt anguſtijs ſpiritus per quatuor dies fatigari cœperit, ac quinta obierit, Olympiade 243. ſeptuageſimo verò & tertio ætatis ſuæ anno.



SPHÆRVS BOSPHORANVS.

SPHÆRVS Boſphoranus floruit ſub temporibus Ptolemæi Philopatoris IIII. Ægypti Regis. Cœpit autem regnare Philopator anno mundi 3742, Olympiade 139, ab vrbe condita 531. Scripſit iſta volumina: de mundo duo, de elementis ſeminis, de fortuna, de minimis, aduerſus atomos & ſimulachra, de ſenſibus, de Heracliti quinque diatribis, de morali inſtituto, de officio, de appetitione, de perturbationibus duo, de regno, de Republ. Laconica, de Lycurgo & Socrate tres, de lege, de diuinatione, dialogos amatorios, de Eretriacis Philoſophis, de ſimilibus, de diffinitionibus, de habitu, de his quibus contradicitur tres, de oratione, de diuitijs, de glo-

ria, de morte, artis Dialecticæ duo, de prædicamentis, de amphibolijs epiſtolas. Eius ſcripta citantur apud Plutarchum in vita Lycurgi.



MVSAS PLAVTINO ORE LOCVTAS FVISSE.

MARCVS Plautus patria Sarſinas fuit ex Vmbria. Floruit autem Romæ 140. Olymp. Fertur tantam pecuniam in ſcenicis ornamentis abſumpſiſſe, vt, ad ſummam paupertatem redactus, operam ſuam piſtori locarit, ad victum comparandum, vbi, dum ſibi per otium licebat, Saturionē & Adictum comœdias compoſuit. Quinque ex 25, eius comœdijs iniuria temporum perierunt: in quibus erant

erant Boëthia, Neruularia, & Fretum quæ à Gellio nominantur. Obijt autem quadragesima quinta Olympiade, his de seipso versibus compositis:

Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta.
Deinde risus, ludus, iocusque, & numeri
Innumeri simul omnes collacrymarunt.

Viginti quæ extant comœdiarum hæ sunt inscriptiones: Amphytruo, Asinaria, Aulularia, Captiui duo, Curculio, Casina, Cistellaria, Epidicus, Bacchides, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudolus, Pœnulus, Persa, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus.



P. TERENTIVS CARTHAGINENSIS POËTA COMICVS.

PVBLIVS Terentius Carthagine natus, Romam captiuus deductus eſt. Vbi ingenij facilitate atque excellentia tantum valuit vt à Terentio Lucano Patrono breui manumiſſus ſit. Deinde cum Publ. Scipione & Caio Lælio maxima cum familiaritate vixit, eorumq; opera in comœdijs ſuis ſcribendis vſus eſt, vt videtur annuere in prologo Adelphorum. Multas alias quàm quæ extant Menandri comœdias Latinas fecit: quas (poſtquàm eum cepiſſet cupido in Græciam adnauigare, quò facilius Græcorum diſciplinas atque inſtituta perciperet) cùm naui præmiſiſſet, naufragium fecerunt. Quod ille cùm

reſc

reſciuit, ob nimium dolorẽ amiſſarũ fabularũ, in Arcadia obiuit. Eius quę extant hæ ſunt comœdiæ: Andria, Eunuchus, Adelphi, Eautontimorumenos, Phormio, & Hecyra.



MARCVS PORTIVS CATO QVÆSTOR.



MARCVS PORTIVS CATO QVÆSTOR SECVNDVM CONSVL TRIBVNVS MILITVM.

MARCVS Portius Cato genere Tuſculanus, à Valerio Flacco Romam ſolicitatus. Tribunus militum in Sicilia, Quæſtor ſub Scipione fortiſsimus, Prætor iuſtiſsimus fuit. In Pręturа Sardiniam ſubegit, vbi ab Ennio græcis literis inſtitutus. Conſul anno 3. Olymp. 146, vrbis conditæ 559, Celtiberos domuit: & ne rebellare poſſent, literas ad ſingulas ciuitates miſit vt muros diruerẽt, quod, quũ vnaquæque ſibi ſoli imperari putaret, fecerũt. Syriaco bello Tribunus militum ſub Marco Atilio Glabrione occupatis Thermopylarum iugis, præſidium hoſtium depulit. Cenſor L. Flaminium Conſularem ſenatu mouit, quòd ille in Gallia ad cuiuſdam ſcorti ſpectaculum, eductum quendam è carcere in conuiuio iugulari iuſsiſſet. Baſilicam ſuo nomine primus fecit. Matronis ornamẽta erepta Oppia lege, repetentibus, reſtitit. Accuſator aſsiduus malorum Galbam octogenarius accuſauit. Ipſe quadragies quater accuſatus, glorioſè abſolutus eſt. Carthaginem delendam cenſuit. Poſt octoginta annos filium genuit. Imago huius funeris gratia produci ſolita fuit.



ARISTONYMVS COMICVS.


ARISTONYMVS, poëta Comicus ſub Philopatore floruit, Olympiade 146. Is præfuit regiæ bibliothecæ poſt Apollonium. Veniens poſtremò in ſuſpicionem quòd ad Eumenem transfugere cuperet, in cuſtodia per aliquot annos fuit. Tandem liberatus mortem non multo poſt obijt.



CARNEADES CYRENENSIS.

CARNEADES Cyrenæus, nouæ Academiæ princeps, Epicomi, vel, vt alij, Philocomi filius, floruit circa centeſimam quinquageſimam quintam Olympiadem. Hic Stoicorum & Chryſippi libris diligentiſsimè perlectis, eis modicè reluctabatur, adeoq; id verecundè faciebat, vt ſępius diceret, niſi Chryſippus eſſet, non eſſem ego. Plinius refert quòd is ſcripturus aduerſus Zenonis Stoici libros, ſuperiora capitis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus, ad domicilium vſque animi redundaret, & conſtantiam vigoremq; mentis labefactaret: tanta cura tantoq; apparatu, vir ingenio præſtā ad confutanda ea quæ ſcripſiſſet Zeno ag greſſu

gressus est. Fuit autem vehementer studiosus Porrò Physicæ minus curam habuit, Ethicæ se magis deuouit. Adeò autē in Philosophia valuit, tantumq́; sibi in ea neruorum comparauit, vt oratores quoque in ipsius scholis ad eum audiendum conuenirent. Refert Gellius libro decimosexto quòd missus Romam legatus ab Atheniensibus, vna cum Diogene Stoico, & Critolao Peripatetico suspectam fecit Romanis legationem, dicente M. Catone in Senatu, ab hoc viro cauendum esse, qui ob eloquentiam & differendi facultatem facile quæcunq; velit impetrare posset. Erat illi vox maxima & sonora. Quum morti propinquus esset sæpius dicebat, quæ constituit natura & compegit ea & dissoluet. Cùm autem didicisset Antipatrum veneno hausto defunctum, & ipse incitatus est ad audendum contra mortem. Excesit è viuis anno quarto centesimæ sexagesimæ secundæ Olympiade, cùm vixisset annos quadraginta quinq;. Refert Diogenes eo defuncto defectionem Lunæ factam fuisse.



ARISTARCHVS GRAMMATICVS ALEXANDRINVS.

ARISTARCHVS Alexādrinus habitatione, natura Samothrax, patre Ariſtarcho, vixit circa Olympiad. 156, temporibus Ptolemæi Philometoris, cuius & filium inſtituit. Fertur autem ſcripſiſſe ſupra 800 volumina commentariorum. Diſcipulus fuit Ariſtophanis Grammatici. Diſcipuli eius Grāmatici circa 40 fuerunt. Hydropicus obijt in Cypro, dum inedia victus premeretur, anno ætatis 72. Reliquit duos liberos Ariſtarchum & Ariſtagoram.



CLITOMACHVS PHILOSOPHVS.

CLITOMACHVS Carthaginienſis, patria lingua Aſdrubal appellabatur, in qua etiã apud ſuos philoſophari conſueuerat. Athenas autem contendit quadraginta annos natus, audiuitq; Carneadem. Eius ille induſtriã animaduertens, ſtudioſè imbuit virum. Ad tantum autem peritiæ prouectus eſt, vt vltra quadringenta volumina ſcripſerit, ſucceſſeritq; Carneadi, cuius etiam dicta maximè illuſtrauit literis. Verſatus eſt autem in tribus maximè ſectis, Academicorum ſcilicet, Peripateticorum, atque Stoicorum. Floruit circa 160. Olymp.



QVINTVS CATVLVS ORATOR CONSVL.

QVINTVS Catulus Orator, Cõſul Olympiade 169.anno vrbis 451, cum collega C. Mario, quo cum ſequẽti annos Cimbros Proconſul fudit. Capitolũ reparauit dedicauitq; anno vrb. 684. Olymp. 177. Is occupata per diſſenſionem vrbe mori iuſſus eſt, fruſtra præcantibus pro eo ciuibus: itaque in cubiculo incluſus, candentium carbonum vapore ſuffocatus eſt.



MARCVS TVLLIVS CICERO PRIMVS PATER PATRIÆ.

MARCVS Tullius Cicero Arpini natus eſt anno mundi 3860. Olympiade 168, ab vrbe condita 648, Conſſ. Caio Attilio Serano & quinto Seruilio Cæpione, ante diem tertium nonas Ianuar. vt teſtatur Gellius libro 15. capite 28. & ipſemet Cicero in Brut. Eius verba ſunt. Sed hæc Craſsi cùm edita » oratio eſt, quam te ſæpe legiſſe certò ſcio, » quatuor & triginta tum habebat annos, to- » tidemq; annis mihi ætate præſtabat: his enim » conſulibus eam legem ſuaſit, quibus nati ſu- » mus. Editam autem Craſsi orationem fuiſſe » conſtat anno ab vrbe condita 648. Conſſ. Cæpione & Serano. Romam puer perdu-

ctus est vbi tantum in discendo profecit, vt in causis dicendis primum locū consecutus sit, tantumq; veritatis & Reipublicæ studio potuit, vt omnes honores suo ordine obtinuerit.

Vigesimo sexto ætatis suæ anno pro Quintio orationem habuit: vigesimo septimo autem Sextum Roscium parricidij reum defendit: quamuis Nepos & Fenestella aliter sentiant. Hic enim Roscium à Cicerone, vigesimum sextum ætatis suæ annum agente, defensum esse autumat, ille autem integrum quadriennium suppressit amicitiæ studio adductus. Bis consul fuit: primò Olymp. 179, anno vrbis 690, cum Collega C. Antonio. Secundò verò Olympiade 187, post Rom. conditam 723. In consulatu sic sese gessit, vt non minus veræ gloriæ in toga meruerit, quàm alius quispiam in armis: liberauit enim vrbem ab incendio, & ciuitatem à cede coniuratorum Catilina duce: in quos cùm animaduertisset, & Catilina iam in prælio cecidisset, primus in toga triūphauit: primusq; parens patriæ appellatus est, erectis gloriæ suæ perpetuis monimentis: quæ res illi non parū inuidiæ peperit, præsertim apud Cæsarem, & Clodium virum apprime nobilem, in quem citatus

citatus Cicero teſtimonium tulit: quam iniuriam vt commodiùs vlciſceretur Clodius à patribus ad plebem per adoptionem tranſiuit, factusq́; Tribunus plebis, Ciceroni diem dixit, quòd nobiliſsimos ciues necaſſet indicta cauſa. Erant autem tunc Conſſ. Lucius Piſo Cæſaris ſocer, & P. Gabinius, qui prouinciarum ſpe Clodij conatibus fauebant. Quod intelligens Cicero quum neq; à Pompeio, neque ab alijs amicis ſatis tutaretur, aufugit: abſensq́; damnatus eſt à Clodio, vt bonis eius publicatis quadringẽtis millibus paſſuum ab Italia igni & aqua illi interdiceretur: qui verò hoſpitio ſuſcepiſſet, exul eſſet, & ſua amitteret omnia: additumq́; rogationi eſt, nequis de eo reducẽdo referret, diſputarétue, aut pedibus in ſententiam iret: quæ omnia populus ſciuit atque approbauit, maxima vt ſemper fuit animorum mutabilitate. Eius tamen cauſa viginti hominũ millia veſtem mutauere. Clodius villas exulis diripuit, & incendit: domum in palatio à fundamentis demolitus eſt, & in area templum libertatis conſtituit. Fortunas omnes haſtæ ſubiecit: nec tamen in tota illa auctione ſector quiſpiam repertus eſt. Cicero in Macedoniam aufugit,

vbi à Planco benignè exceptus eſt. Clodius ob victoriam inſolentior factus, etiam Pompeium in publica concione contumelijs proſcidit. Quo irritatus Pompeius, fretusq́; Lentuli autoritate, qui Ciceroni amiciſsimus fuit, autor fuit Tito Annio Miloni, Tribuno plebis, vt rogationem ad populum ferret de Cicerone reuocando: quæ res ingentes turbas excitauit. Clodius enim cum factione ſua Tribunitiæ obſtitit rogationi, eoq́; obnitente aliquandiu nihil agi potuit, certatumq́; eſt interim in publico armis, Tribunitiaq́; poteſtas violata eſt, multi quoque interfecti, adeò vt Quintus Cicero Marci frater inter cadauera latitans ſit ſeruatus. Tandem Pompeius Clodium foro expulit, auxilioq́; fuit vt populus ſine aliquo maiore motu rogaretur. Nunquam maior populi Romani de aliqua re conſenſus fuiſſe dicitur, neque tam magnũ aliàs totius Italiæ ſtudium, quæ ad hoc ipſum Romam confluxerat: vt non magis eleganter
„ quàm verè Cicero poſteà gloriatus ſit, Italiæ
„ ſe humeris ab exilio reportatum. Senatus charitate & beneuolentia cum populo certauit, decreuitq́; vt publicè laudarentur ciuitates, quæ Ciceronem humaniter excepiſſent,

ſent, vtq; domus & villæ eius publico inſtaurarentur ſumptu. Redijt ſextodecimo menſe poſtquàm vrbe eiectus fuerat, in ſenatuq; aliquantulum floruit: deinde Ciliciam, poſt Lentulum & Appium Claudium pulchrum, prouinciam obtinuit. Vnde reuerſus bella ciuilia inter Cæſarem & Pompeium offendit orta, quæ res effecit vt triumphare non potuerit. Diu autem ad concordiam vtrunque fruſtrà eſt hortatus. Quo viſo à Reipublicæ adminiſtratione abſtinuit, neutriusq; partes fouit. Aut, vt alij dicunt, Pompeium ſecutus eſt, quo victo & occiſo, per Dolabellam generũ ſuum Cæſari reconciliatus, cùm in foro locus non eſſet, ad Philoſophiam ſe contulit. Cæſare tandem occiſo, cùm libertatis publicæ gratia eius percuſſores tutaretur, in Marcum Antoniũ Cæſaris vindicem Philippicas habuit. Deinde ſub aduentũ Triumuirorum vrbe ceſsit pro certo habens id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quàm Octauio Caſsium & Brutum poſſe. Primò in Tuſculanum fugit: inde tranſuerſis itineribus in Formianum, vt ab Caieta nauim conſcenſurus, proficiſcitur: vnde aliquoties in altum prouectum, cùm modò venti aduerſi retuliſſent,

modò ipſe iactatione nauis cæco voluente fluctu pati non poſſet: tædium tandem eum & fugæ, & vitæ cepit. Regreſſus ad ſuperiorem villam, quæ paulo plus mille paſsibus à mari abeſt, Moriar, inquit, in patria ſæpe ſeruata. Satis conſtat ſeruos fortiter fideliterq́; paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, iuſsiſſe. Prominenti ex lectica, præbentiq́; immotam ceruicem, caput præciſum eſt. Nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, ſcripſiſſe aliquid in Antonium exprobrantes, præciderunt. Quodq́; miſerabilius eſt, ab eo Cicero trucidatus eſt, qui patrocinio eius tutatus olim capitis pœnam effugerat. Relatum eſt caput ad Antonium: iuſſúq; eius inter ambas manus in roſtris poſitum: vbi ille Conſul, vbi ſæpe conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſum Antonium, quanta nulla vnquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Vix attollentes lacrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant. Vixit tres & ſexaginta annos: vt ſi vis abfuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſsit, vel, vt Plutarchus, & & meliore iudicio, ſexaginta quatuor: anno enim

enim ab vrbe condita 711, Lepidus, Antonius, & Cæſar Octauianus triumuiratũ inierũt,eoq́; tot cõciues ſuos proſcriptione damnarunt. Ab anno autem 648, quo natus eſt Cicero, ad 711, quo occiſus eſt, 64, anni dinumerantur. Nec diu manſit inultus Cicero: ſiquidem Cæſar debellato Antonio, Conſul factus Ciceronis filium collegam delegit, atque ſortitus eſt. Cuius magiſtratu Senatus ſtatuàs Antonij deiecit, ac nonnulla ipſius ornamenta aboleuit. Præterea publico edidit edicto, ex Antoniorum gente neminem Marcum appellari. Atque ita diuino quodam fato vltima vltio ad Ciceronis domum redacta eſt.

Sunt qui indubitanter affirment Ciceronem à Tullo Volſcorum Rege genus traxiſſe, quam opinionem plane refellit Lucius Ioannes Scopa. Matrem habuit ſane diuitem & ſplendidam. Patrem eius in taberna fullonaria educatum fuiſſe refert Plutarchus, à quo & nomen Tullij accepit, vt quidam autumant, propter cuius incertitudinem multa in eum feruntur ſcommata, è quibus plurima retorſit in proprios autores. Quare dictus fuerit Cicero, variæ ſunt opiniones. Priſcianus autumat

mat quòd haberet faciem inſtar Ciceris quadratam Ciceronem denominatũ fuiſſe. Leonardus quòd in nare carunculam haberet inſtar Ciceris. Varro autem, quem & pleriq; ſecuti ſunt, Cicerones ait dictos quorum maiores inuentores fuerunt Ciceris ſerendi.

Tullij autem quòd maiores eorum tullorum, id eſt, aquæductũ inuentores fuerint. Ciceronis vitam Tyro Tullius eius libertus tribus voluminibus deſcripſit. Præceptores habuit, in philoſophia quidem Philonem Academicum tunc Romæ commorantem: in iure ciuili Scæuolam: in dialectica Diodorum Stoicum: in dicendo Apollonium Molonem. Poſteà Aſiam ſimulata cauſa valetudinis adijt: vbi ſe, vt ipſe ait, recoquendum dedit præceptoribus dicendi: Xenoclemq́; Adramytinũ, Dionyſium Magneſium, & Menippum Carem, Rhodium Apollonium, Molonem magiſtros dicendi habuit. Feruntq́; Poſidonium tunc Athenis eum Græcè declamantem audiuiſſe, ac protinus exclamaſſe, quòd ſolam Græcis dicendi relictam gloriam videret ad Latinos per eum transferri. Vxorem ſuam Terentiam ſæpe aduerſam tandem abdicauit, de
„ qua Hieronymus contra Iouinianum: Cicero

roga

rogatus ab Hircio, vt post repudium Terentiæ, sororem suam duceret, negauit se id facturum, dicens, non posse vxori & philosophiæ pariter operā dare. Duxit tamen aliam Cicero, mirantibusq́; amicis, quòd ea ætate virginem duxisset, respondit, cras mulier erit. Fratrem habuit Q. Ciceronem: filium Marcum Ciceronem: filiam Tulliolam. Hos præcipuè duos libertos habuit, Tironem Tulliū, & Lauream Tullium. Qui plura desiderabit, Plutarchum legat.

Ciceronis opera quæ extant hæc sunt.

Ad C.Herennium Rhetoricorū libri quatuor, quos Fr.Floridus Sabinus succisiuarum lectionum lib.I. cap.4.probat non esse Ciceronis, contra Georgij Vallæ opinionem.
De Inuētione, quæ & vetus Rhetorica, lib.II.
Topicorum ad Trebatium, lib.I.
De partitione oratoria, dial.I.
De oratore ad Qu.Fratrem, lib.III.
Brutus, siue de claris oratoribus, lib.I.
Orator ad M.Brutum, vel de perfecto oratore, lib.I.
De optimo genere oratorū, præfatio quædā.
Orationes quinquaginta septem.

Epist

Epiſtolarum familiarum, lib. XVI.
Epiſtolarū ad Q. Ciceronē fratrem, lib. III.
Epiſtolarū ad T. Pomponiū Atticū, lib. XVI.
Academicarum quæſtionum liber primus & imperfectus, & quartus.
De finibus bonorū & malorū ad Brutū, lib. V.
De natura Deorum, lib. III.
De diuinatione, ſiue ſcientia rerū futurarum, lib. II.
De fato, & de enunciationibus quæ vocantur δυνατὰ, liber mancus.
De ſomnio Scipionis ex lib. de Repub. ſexto.
De legibus, lib. II.
De officijs ad M. filium, lib. III.
Lælius, ſeu de amicitia dialogus.
Cato maior, ſeu de ſenectute dialogus.
Paradoxa ſex ad M. Brutum.
De vniuerſitate liber.
Fragmentum interpretationis in Arati phænomena.

Quæ non extant.

De conſolatione ad filiam, lib. I.
De gloria, lib. II.
De laudibus Catonis, lib. I.
Commentarij ſui conſulatus Græcè ſcripti, quos ad Poſidonium philoſophum miſit.

De

De temporibus ſuis, lib. III. carmine ſcripti: nam ad poëticam ita pronus erat, vt quingentos nocte verſus facere ſolitus ſit.

Xenophontis Oeconomici verſio.

Demoſthenis defenſio pro Cteſiphonte, cũ Æſchinis accuſatione ab eo latinitate donata.



HERMOGENES TARSENSIS SOPHISTA.

HERMOGENES Tarſenſis, annos natus quindecim, Sophiſta adeò probatus eſt, vt fama eius ad auditorium M. Antonium principem pellexerit, ab eoq́; munera egregia tulerit. Deinde tempore procedente, eum facultatis habitum deperdidit, nulla morbi cauſa. Proinde Antiochus ſophiſta dicebat, Hermogenes in pueritia ſenex, & in ſenectute puer. Floruit circa 180. Olympiadem.



ALBIVS TIBVLLVS EQVES ROMANVS POËTA.

ALBIVS Tibullus Romæ vt creditur, natus, Hircio & Panſa conſulibus, qui annus etiam Naſonis Poëtæ natalibus inſignis fuit. Olympiade 184, anno mundi 3922, ab vrbe condita 711. Parentes habuit ex equeſtri ordine, bello & pace ſatis illuſtres. Is, quòd ingenio facili & egregia forma foret, nobiliores ciuitatis ſibi conciliauit, in quorum numero fuit Meſſala Coruinus, qui mira diligentia & aſsiduis officijs Poëtam fouit. Itaq; ſui ſtudioſum vocat eum Tibullus, eiusq́; laudes mirè decantat. Horatium Flaccum, & Macrum Poëtam, qui de herbis libros conſcripſit, familiariter dilexit. Ad amores & delicias

licias nimis procliuē fuiſſe, videre eſt ex eius operibus. In carmine ad Meſſalam conqueritur, quòd ipſa fortunæ iniquitas nimium illi obfuerit, & cùm ſatis amplæ illi opes floruiſſent, conditione temporum factum vt ad paupertatem fuerit redactus. Habuit & Virgilium contemporaneum, vnde Ouidius,

Te quoque Virgilio comitem non æqua Tibulle
Mors iuuenem campos miſit ad Elyſios.


Dum ille comitaretur Meſſalam Coruinū in prouinciam Phæacum pergentem, in aduerſam incidit valetudinem, ac paulo poſt diem obijt: vnde eſt illud Diſtichon:

Hic iacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſalam terra, dum ſequiturq́ mari.

Vulgatum eſt autem illud de elegantia & carmine Tibulli,

Donec erunt ignes arcusq́ Cupidinis arma,
Diſcentur numeri culti Tibulle tui.


Scripſit quatuor libros elegiarū ſiue amorum qui quidem extant.



SALLVSTIVS NOBILIS ROMANVS, HISTORICVS, VIR CONSVLARIS, GLORIA PATRIÆ DIGNVS, MEMORIÆ ÆTERNÆ.

CAIVS Criſpus Salluſtius Amiterni natus in agro Sabino, ex Salluſtiorum nobili familia ortum ducens floruit centeſima octageſima quarta Olymp. Is tam corruptis moribus fuit ingenioq́; tam ad luxum procliui, vt paternam domum adhuc viuente patre turpiſſima ratione vænalem habuerit. Dignitates publicas geſsit, & Quæſturæ, ac Tribunatus honorem aſſecutus eſt. Fuit admodum dilectus Cæſari. In adulterio aliquando depræhenſus ab Annio Milone dum cæderetur, pecunia data elapſus eſt. Ciceroni inimiciſs

micicissimus fuit, vt ex vtriusque inuectiuis orationibus constat. Elegans, breuis, & sententijs refertus in dicendo fuit. Obijt autem sexagesimo secundo ætatis suæ anno. Scripsit de coniuratione Catilinæ historiam, nec non & de bello Iugurthino. Insuper in Ciceronem inuectiuam.



ASINIVS POLLIO ORATOR ROMANVS.

ASINIVS Pollio celebris orator, Augustiq; amicus fuit. Primus omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Declamationes suas nunquam populo commisit, siue quia parum in illis habuerit fiduciæ, siue, quod magis crediderim, tantus

orator inferius id opus ingenio ſuo duxit. Exerceri ſiquidem volebat, gloriari faſtidiebat. Summa diligentia præditus fuit, cõſilij & animi ſatis habuit, à nitore & iucunditate orationis multum abfuit. Fere omnes ſui temporis notauit. In Liuio patauinitatem, in Cæſaris commentarijs infidelitatem, in Salluſtio verba obſoleta. Ciceronem denique ipſum exanguem & elixum appellauit. De Dalmatis triumphauit Salona expugnata, ex qua victoria Salonium tunc forte natum vocauit. Obijt in villa Tuſculana, cùm iam ætatem octogenariam vixiſſet.



VIRGILIVS MARO MANTVANVS POËTA LAVREATVS.

PVBLIVS Vergilius Maro parentibus mōdicis fuit, & præcipuè patre Marone: quem quidam opificem figulum: plures, Magi cuiuſdam viatoris initio mercenarium, mox ob induſtriam generum tradiderunt, quem cùm agricolationi, reiq; ruſticæ, & gregibus præfeciſſet ſocer, ſyluis coëmundis & apibus curandis reculam auxit. Natus eſt Cn. Pompeio Magno, & M. Licinio Craſſo primùm COSS. Iduum Octobrium die, in pago, qui Andes dicitur: qui eſt à Mantua non procul. anno vrb. conditæ 684. Olymp. 177. Prægnans mater Maia, cùm ſomniaſſet enixam ſe laureum ramum, quem compactum terræ coaluiſſe,

luisse, & excreuisse illico in speciẽ maturæ arboris refertæ uarijs pomis & floribus, cerneret: Sequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere diuertit, atque in subiecta fossa partu leuata est. Ferunt infantem, vt fuit editus, non vagisse, & adeò miti vultu fuisse, vt haud dubiam spem prosperioris geniture iam tum indicaret. Et accesit aliud præsagiũ. Siquidem virga populea more regionis in puerperijs eodem statim loco depacta ita breui coaluit, vt multò antè satas populos adæquarit: quæ arbor Vergilij ex eo dicta, atque consecrata est summa grauidarum & fœtarum religione suscipientium ibi & soluentium vota. Initia ætatis, id est, vsque ad septimum annum, Cremonæ egit: & xv. anno virilem togam cepit, ijs Consulibus iterum, quibus natus erat. Euenitq; vt eo ipso die Lucretius poëta decederet. Sed Vergilius à Cremona Mediolanum, & inde paulò pòst Neapolim transijt: vbi cùm literis & Græcis & Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura, omniq; studio indulsit medicinę, & mathematicis. Quibus rebus cùm ante alios eruditior peritiorq; esset, se in vrbem contulit: statimq; magistri stabuli equo

equorum Augusti amicitiam nactus, multos uariosq; morbos incidentes equis curauit. At ille in mercedem singulis diebus panes Vergilio, vt vni ex stabularijs, dari iussit. Interea à Crotoniatis pullus equi miræ pulchritudinis Cæsari dono fuit missus: qui omnium iudicio spem portendebat virtutis & celeritatis immensæ. Hunc cùm aspexisset Maro, magistro stabuli dixit natum esse ex morbosa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate: idq; verum fuisse, inuentum est. Quod cùm magister stabuli Augusto recitasset, duplicari ipsi in mercedem panes iussit. Cùm item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, & parentes eorum, dixit Vergilius, & animum, celeritatemq; futuram. Quo cognito, mandat iterum Vergilio panes duplicari. Dubitauit Augustus Octauiíne filius esset, an alterius: idq; Maronem aperire posse arbitratus est, quia canum & equi naturam parentesq; cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris illum in penitiorem partem domus vocat, & solum rogat, an sciat quisnam esset, & quam ad felicitandos homines facultatem haberet: Noui, inquit Maro, te, Cæsar Auguste, & ferme æquam cum dijs immortalibus

potestatem habere scio, vt quem vis felicem facias. Eo animo sum, respondit Cæsar, vt si verum pro rogatu dixeris, beatũ te felicemq́; reddam. Vtinam, ait Maro, interroganti tibi vera dicere queam. Tunc Augustus, Putant alij me natum Octauio: quidam suspicantur alio me genitum viro. Maro subridens, Facilè, inquit, si impunè, licenterq́;, quæ sentio loqui iubes, id dicam. Affirmat Cæsar iureiurando, nullum eius dictum ægrè laturum: imò nõ nisi donatum ab eo discessurum. Ad hæc, oculos oculis Augusti insigens Maro, Facilius, ait, in cæteris animalibus qualitates parentum mathematicis & philosophia cognosci possunt: in homine nequaquam posibile est. Sed de te coniecturam habeo similem veri, vt quid exercuerit pater tuus, scire possim. Attentè expectabat Augustus, quidnam diceret. At ille, Quantum ego rem intelligere possum, pistoris filius es, inquit. Obstupuerat Cæsar, & statim quo id pacto fieri potuerit, animo voluebat. Interrumpens Vergilius, Audi, inquit, quo pacto id coniicio: Cùm quædam enuntiarim, prædixerimq́;, quæ intelligi, sciriq́; non nisi ab eruditisimis summisq́; viris potuissent, tu princeps orbis, ite-

rum

rum & iterum panes in mercedem dari iuſsiſti: quod quidem aut piſtoris aut nati piſtore officium erat. Placuit Cæſari facetia. At deinceps, inquit, non à piſtore, ſed à rege magnanimo dona feres: illumq́; plurimi fecit, & Pollioni commendauit. Corpore & ſtatura fuit grandi, aquilino colore, facie ruſticana, valetudine varia. nam plerunque ſtomacho, & faucibus, ac dolore capitis laborabat: ſanguinem etiam ſæpius eiecit: cibi, viniq́; minimi. Fama eſt, eum libidinis pronioris in pueros fuiſſe. Sed boni ita eum pueros amaſſe putauerunt, vt Socrates Alcibiadem, & Plato ſuos pueros. Verùm inter omnes maximè dilexit Cebetem, & Alexandrum: quem ſecunda Bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum ſibi ab Aſinio Pollione: vtrunque non ineruditum dimiſit: Alexandrum Grammaticum, Cebetem verò & Poëtam. Vulgatum eſt, conſueuiſſe eum cum Plotia Hieria. Sed Aſconius Pedianus affirmat, ipſum poſtea minoribus natu narrare ſolitum, inuitatum quidem ſe à Vario ad communionem mulieris: verùm ſe pertinaciſsimè recuſaſſe. Cætera ſanè vita & ore & animo tam probum fuiſſe conſtat, vt Neapoli Parthenias vulgò appellaretur:

laretur: ac, ſi quando Romæ (quò rariſsimè commeabat) viſeretur, in publico ſectantes, demonſtrantesq́; ſe, ſubterfugeret in proximum tectum. Bona autem cuiuſdam exulantis offerente Auguſto, non ſuſtinuit accipere. Poſſedit propè centies ſeſtertiûm ex liberalitatibus amicorum. Habuitq́; domum Romæ in Exquilijs iuxta hortos Mecœnatianos: quanquam ſeceſſu Campaniæ, Siciliæq́; plurimum vteretur. Quæcunq; ab Auguſto petijt, repulſam nunquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat: quos iam grandis amiſit. Bucolica, Georgicaq́; emendauit. Anno verò quinquageſimo ſecundo, vt vltimam manum Æneidi imponeret, ſtatuit in Græciam & Aſiam ſecedere, trienniòq́; continuo omnem operam limationi dare: vt in reliqua vita tantùm philoſophiæ vacaret. Sed cùm aggreſſus iter, Athenis occurriſſet Auguſto ab Oriente Romam reuertenti, vnà cum Cæſare redire ſtatuit. At cùm Megaram, vicinum Athenis oppidum, viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt: quem non intermiſſa nauigatio auxit: ita vt grauior in dies tandem Brunduſium aduentarit: vbi diebus paucis obijt decimo


cimo Cal. Octobris, CONSS. C. Sentio Saturnino, & Spurio Lucretio Cinna. Olympiade 190. anno vrbis 735. Qui cum grauari morbo sese sentiret, scrinia sæpe & magna instantia petiuit, crematurus Æneida: quibus negatis, testamento comburi iussit, vt rem inemendatam, imperfectamq;. Verùm Tucca, & Varius monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc eidem Vario, ac simul Tuccæ scripta sub ea conditione legauit, ne quid adderent, quod à se editum non esset: & versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent. Voluit etiam eius ossa Neapolim transferri, vbi diu & suauissimè vixerat: ac extrema valetudine hoc ipse sibi epitaphium fecit distichon.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini, pascua, rura, duces.

Translata igitur iussu Augusti eius ossa, prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaq; via Puteolana intra lapidem secundum: suoq; sepulcro id distichon, quod fecerat, inscriptum est. Hæredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex altera patre: ex quarta Augustum: ex duodecima Mecœnatem: ex reliqua L. Varium, & Plotium Tuccam.

Extant

Extant eius hæc ſcripta. Bucolicorum eclogæ decem. Georgicorum lib. IIII. Æneidum lib. XII. Varia item epigrammata quæ, vt quibuſdam placet, falsò illi adſcribuntur.




HORATIVS VENVSINVS POËTA ROMANVS LAVREATVS.

QVINTVS Horatius Flaccus in Venuſio Appuliæ oppido natus Olympiade 179, anno vrbis 689, patrem habuit libertini generis. In bonis literis breui multum profecit. Vbi autem ſatis viſus eſt nauaſſe operam Latinis ſtudijs, Athenas ſe contulit, vt Philoſophorum præceptis liberius incumberet, maximeq; Epicurcorum placita probauit. Moribus fuit ſubobſcœnis, & ad bilem interdum paulò

paulò excitatior. Erga amicos adeò gratus atque officiosus fuit, vt nobiliorum etiam studijs clarior in dies ac nobilior esset. Amicos ex poëtis habuit Tibullum, Varum, Valgiũ, & Vergilium. Ex prima nobilitate, Iulium Florum, Maximum Lollium, & Mecœnatem, cum quo supra septem annos maxima familiaritate vixit. Obijt autem quinquagesimo & septimo ætatis suæ anno.

Eius hæc sunt scripta.

Carminum, lib. IIII.
Epodon, lib. I.
Carmen seculare.
De arte poëtica.
Epistolarum, lib. II.
Sermonum, lib. II.



DIONYSIVS HALICARNASSEVS.

DIONYSIVS Halicarnaſſeus Auguſti tempore Romanam ſcripſit hiſtoriam. Præterea de compoſitione orationis & elocutione quomodo fiant epithalamia, epitaphia,
,, & panegyrica. De ſe ipſo ita ſcribit lib. 1. Ego
,, in Italiam traijciens poſt bellum Cæſaris Au-
,, guſti, Olymp. 187, annos 20 Romæ vſque
,, ad hoc tempus commoratus ſum, ſermo-
,, nemq; vernaculum Romanũ edidici: cumq;
,, ad hiſtoriam ſpectarem, nihil in hoc ſpatio
,, potius habui quàm quæ facerent ad hanc rẽ.
,, aiia ex doctrina hominum cum quibus con-
,, uerſabar accipere, alia verò ex autoribus re-
,, ceptis mutuari, Catone, Valerio Antiate, Fa-
,, bio, Actijs, Gellijs, Calpurnijs, cæteriſq;.




DIOSCORIDES MEDICVS GRÆCVS.

DIOSCORIDES Anazarbeus, Medicus, Antonij & Cleopatrę familiaris, floruit Olympiade centeſima octogeſima nona. Scripſit viginti quatuor libros de ſimplicibus pharmacis, quorum tantummodò ſex extant, & duo de venenis, eorumq́; curatione.



TITVS LIVIVS PATAVINVS.

TITVS Liuius Titi filius Patauinus, natus eſt Olymp. 180, vrbis conditæ anno 594. Is res Romanas miro artificio luculentoq́; ſermone perſcripſit. Autor eſt Hieronymus ad eum videndum de vltimis Hiſpaniæ Galliarumq́; finibus nobiles quoſdam veniſſe. Ita vt quos ad contemplationem ſui Roma nõ attraxerat, vnius hominis fama perduxerit. Moritur Olympiade 199, ab vrbe condita anno 771, ætatis ſuæ 77. Ex eius operibus tantummodo extant decades tres cum dimidia.



HERMAGORAS RHETOR EGREGIVS.

HERMAGORAS Æolides, Carion cognominatus, Rhetor egregius, floruit circa centesimam nonagesimam primam Olympiadem. Scripsit artem Rhetoricã libris sex, de diligentia orationis, de decoro, de elocutione, de figuris. Docuit Romæ Augusti temporibus decessitq; senex.



OVIDIVS NASO POЁTA EXCELLENS FABVLATORQVE.

PVBLIVS Ouidius Naſo, Sulmoni, quæ vrbs eſt in Pelignis, ex equeſtri Naſonum familia Mineruę quinquatrijs natus eſt 14. Cal. Aprilis, Hirtio & Panſa Conſulibus, Olympiade 184. anno autem ab vrb. cond. 711. Cùm fratre natu maiore, Grãmaticæ & Rhetoricæ operam dedit, ac, vt patris votis obtemperaret, legibus incubuit. Sed patre vita functo ad humaniores muſas redijt, celeberrimosq; illorum temporum poëtas ſibi conciliauit, Macrum, Ponticum, Propertiũ, Baſſum, & Horatium. Vxores tres duxit, quarum duas repudiauit, cum tertia coniunctiſsimè vixit, ex qua duas etiam filias ſuſcepit. Cùm verò

verò ad Iuliam Augusti filiam sub Corynnæ nomine lasciuas de amoribus elegias scripsisse deprehensus foret, in exilium, annos quinquaginta natus, ab Augusto ipso fuit eiectus, in Pontumq; relegatus. Vbi cùm nouem annis tristissimè egisset, vita functus Tomis fuit sepultus anno ab vrb. cond. 770. Olympiade 199.

Illius autem hæc sunt opera.

Metamorphoseôn lib. XV.
Fastorum lib. VI.
Tristium lib. V.
De ponto lib. IIII.
Heroidum epistolæ amatoriæ.
De arte amandi lib. III.
De remed. amoris lib. II.
In Ibin.
Consolatio ad Liuiam de morte Drusi.
De nuce.
De medicamine faciei, & alia quædam epigrammata, quæ eius nomine circunferuntur.



IVLIVS HIGYNVS ASTROLOGVS.

IVLIVS Higynus natione Hiſpanus. Nonnulli Alexandrinum putant, & à Cæſare Romam aduectum, Alexandria capta. Auguſti libertus fuit, vixitq; circa 197, Olymp. Studioſè & auidè imitatus eſt Cornelium Alexandrum grammaticum Græcum. Eum propter antiquitatis notitiam, polyhiſtorem multi, quidam hiſtoriam vocabant. Præfuit bibliothecæ Palatinæ. Quamplurimos docuit, fuitq; familiariſsimus Ouidio Poëtæ & Cl. Licinio Conſulari Hiſtorico, à quo quoad vixit liberalitate ſua ſuſtentatus eſt, deceſsit enim admodum pauper. Libertum habuit Iulium Modeſtum.



HERACLIDES PONTICVS.

HERACLIDES Ponticus Philoſophus, Eutyphronis filius, vixit ſub Nerone, Olymp. ſcilicet 199. Athenas conceſsit. Reliquit ingenij monumenta quæ non extant. Vir fuit mollioris habitus, ita vt pro Pontico Pompicus vocatus ſit. Draconem quendam nutriuit, quem curauit poſt mortem eius feretro imponi, vt ad Deos migraſſe videretur.



VALERIVS MAXIMVS, PHILOSOPHVS, RHETOR, AC ORATOR.

VALERIVS Maximus ciuis Romanus, Patricio genere natus, omnem pueritiam & magnam adoleſcentiæ partem literis percipiendis & honeſtis artibus dedit. Inde ſumpta virili toga, ſe contulit ad rei militaris diſciplinam, vbi aliquandiu ſtipendia feciſſe, & in Aſiam cum Sexto Pompeio nauigaſſe dicitur. Vnde reuerſus cùm videret ſe patriæ ſuæ tam bene dicendo, quàm benefaciendo poſſe prodeſſe, à quo incœpto ſtudio eum militiæ gloria detinuerat, eodem regreſſus ſtatuit vrbis Romæ exterarumq́; gentium facta ac dicta memoratu digna, literarum monum

numentis commendare, quod feliciter consecutus est. Floruit circa ducentesimam Olympiadem, Tiberij Cæsaris temporibus, & sub eius imperio hanc scripsit historiam, cuius etiam numen inuocat. Imperatores enim Romani cùm virtute sua iustè sanctéq; gessissent imperiũ, diuino celebrabantur honore, & in Deorum numerum transferebantur. Vnde & Diui sunt appellati. Genus paternum à gente Valeria, maternum à Fabia duxisse fertur.



POMPONIVS MELA GEOGRAPHVS.

POMPONIVS Mela Geographus ſcripſit de ſitu orbis libros tres. Oriundus fuit ex Mellaria Hiſpaniæ oppido, vel ex Tariſſa, vt alij ſentiunt. Sunt qui conijciant eum vixiſſe circa 202. Olympiadem, temporibus Claudij Imperatoris.



LVCIVS ANNEVS SENECA PHILOSOPHVS PRÆTOR.


LVCIVS Anneus Seneca, natione Hispanus, genere Cordubensis, professione verò Stoicus, non minus vita conspicuus, quàm scientia præclarus extitit. Hic à Cn. Domitio Ænobarbo captus cum duobus fratribus, Iunio Anneo Gallione, & L. Anneo Mela libertate donatus est, & eius suasu Romam se contulit. Vbi tāto in honore ab omnibus habitus est, vt inuidia motus Claudius Imperator eum in Corsicā relegauerit: vbi exul permansit donec Agrippina Neronis mater & Claudij vxor eum coniugi reconciliauit, eiq; Neronē erudiendi prouinciam demandauit: apud quem in tanto honore ac opum copia

vixit, vt multorum inuidiam in se excitarit. Tandem verò postquàm Octauia abdicata Pompeiam Sabinam Nero in matrimonium duxit, Seneca, vt sibi à muliere caueret, cui sciebat se valde infensum esse, Imperatorē orauit vt sibi liceret à curia abstinere, quo posset eo pacto valetudini suæ consulere. Quo impetrato per Campaniæ rura & alia loca vrbi adiacentia vagabatur, in qua veluti peregrinatione bonam partem Epistolarum ad Lucilium conscripsit. Prouulgatis verò duabus coniurationibus in Neronem, Antonius Natalis qui alterius conscius erat, vt Neronis gratiam pararet, quòd sciret eum valde Senecæ infensum, Senecam coniuratum nominat. Quo detecto mittitur Granius Sillanus Tribunus prætoriæ cohortis qui Senecæ mortem nunciaret. Philosophus forte an prudēs, ad eum diem ex Campania remearat, quartumq́; apud lapidem suburbano rure substiterat, quo quidem propinqua vespera Tribunus venit, & villam globus militū sepsit. Tum ipsi cum Pompeia Paulina vxore & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit, & causas mortis patefecit: quibus reprobatis Seneca iniungit Sillano vt hæc Neroni referat: nempe

nēpe vt de morte & vita eius ita statueret, vt sibi placuisset: se nihil habere cur mortē opta ret, neq; in morte quicquam mali cognoscere cur vitam desideraret, seq́; iam eo peruenisse, vt neque pro hac neque pro illa votum vllum dijs aut hominibus faceret. Vbi hæc à Tribuno relata sunt, interrogat Nero an Seneca voluntariam mortē pararet. Tum Tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius, aut vultu depræhensum confirmauit. Ergo regredi & indicere mortem iubetur. Reuersus itaque intromisit ad Senecam vnum ex centurionibus, qui necessitatem vltimam denuntiaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante centurione, conuersus ad amicos, quandò meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tandem & pulcherrimū habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam tam constantis amicitiæ laturos. Simul lacrymas eorum, modò sermone, modò intentior in modum coërcentis ad firmitudinem reuocat, rogitās: Vbi præcepta sapientiæ? Vbi tot per annos meditata ratio aduersum imminentia? Cui enim ignaram fuisse sæuitiam Neronis? Neque aliud


super

ſupereſſe poſt matrem fratremq; interfectos, quàm vt educatoris præceptorisq; necẽ adijceret. His dictis iubet ſibi incidi venas brachiorum & crurum vt ſanguis largior egrederetur, qui propter longam ætatem in venis congelatus exire non poterat: quo viſo rogat Statium vt ſibi venenum præparatum daret, quod præ debilitate membrorum ad cor non potuit peruenire. Poſtremò ſtagnum calidæ aquæ introijt, reſpergens proximos ſeruorum addita voce, Libare ſe liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus & vapore eius exanimatus; ſiue vllo funeris ſolenni crematur: cùm centeſimum & decimum quintum ætatis ſuæ annum exceſsiſſet, 12 imperij Neronis, Conſſ. Paulino & Teleſino, anno vrbis 818, Olymp. 211. Fama fuit, Subrium Flauium cum Centurionibus occulto conſilio, neq; tamen ignorante Seneca, deſtinauiſſe, vt poſt occiſum ope Piſonis Neronem, Piſo quoque interficeretur, tradereturq; imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummũ faſtigium delecto. Scripſit multa opera philoſophica, è quibus maxima pars extat.



LVCIVS MODERATVS COLVMELLA.

LVCIVS Iunius Moderatus Columella Gaditanus fuit, M. Columellam patruum habuit. Vixit Claudij Imperatoris temporibus, circa Olymp. 203. Cornelij Celsi & Senecæ coætaneus fuit. Scripsit duodecim de re rustica libros, non minus doctè quam diligenter. De eo autem qui est de arboribus ambigitur. Liber lustrationum sacrificiorumq; priscorum pro frugibus, & libri aduersus Astrologos & Chaldæos quos se profitetur scripsisse, non extant.



MARCVS ANNEVS LVCANVS POETA, ORATOR, QVÆSTOR.

MARCVS Anneus Lucanus natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit.

Corduba me genuit, rapuit Nero: prælia dixi
Quæ geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.

Patrem habuit L. Anneũ Melam, qui habitus eſt Senecæ & Gallionis frater. Eius natalis traditur anno vrbis 790. Olympiade 204. Conſſ. C. Cæſare Caligula & L. Cæſonio. Delatus ad vrbem in litteris Rhemmium Palæmonem, in Rhetoricis Flauium Verginium præceptores habuit. Condiſcipulos Saleium Baſſum & A. Perſium. Ad quæſturæ dignitatem prouectus eſt, & in collegium Augurum aſcitus beneficio Neronis, in cuius laudem verſus

versus composuerat, qui tamen posteà Poëtæ cædem imperauit, Olympiade 211. anno vrbis 817. Silio Nerua & Attico Vestino Consulibus. Vxorem habuit Pollam Argentariam. Venarum brachij sectione iuuenis adhuc moritur, vt qui nondum ætatem trigenariam vixisset. Eius extant de bello ciuili lib. x. carmine compositi. Legitur & hoc in elogium Lucani:

M. ANNEO LVCANO CORDVBENSI POETÆ, BENEFICIO NERONIS CÆS. FAMA SERVATA.



PVBLIVS CORNELIVS TACITVS EQVES ROMANVS BELGICÆ GALLIÆ RATIONVM PROCVRATOR.

PVBLIVS Cornelius Tacitus ſacerdotium quindecimuirale, & præturam ſub Domitiano geſsit. Sub Adriano principe orator clariſſimus, æqualis ac familiaris Plinij iunioris, & Suetonij, Belgicæ rationes procurauit, ad Veſpaſianos vſque peruenit, ab ijsq́; honoribus euectus hiſtoriam principum conſcripſit ab Auguſto vſque ad Adrianũ, quæ quidem ad nos ſatis mutila peruenit. Hanc non vitas Imperatorum auſus eſt inſcribere, ſed tantùm annales, quæ medium inter hiſtoriam & vitas tenerent. Stylo ſcribit compreſſo & eleganti,

ganti, tum arguto & ſententioſo. In cætera verò hiſtoria aliquantulum ſublimior. Scripſit & de claris oratoribus: præterea vitam Agricolæ ſoceri ſui, & de moribus ac ſitu Germaniæ.



PLINIVS SECVNDVS NOVOCOMENSIS.

PLINIVS Iunior ſub Nerone natus eſt, quo die & anno non conſtat. Claruit circa 222 Olympiadem ſub Traiano. Patria Nouocomenſis fuit, L. Cæcilij filius, & hiſtorici Plinij ex ſorore nepos, à quo per adoptionem familiæ eius inſertus, auunculi bonis & ſtudijs alio ſcribendi genere ſucceſsit. Præceptores Fabium Quintilianum, & Nicetem

ſacerdotem: in Syria Tribunus militum, Euphratem philoſophum audiuit. Vbertate Liuiana plerunque capiebatur. Græca in Latium, Latina in Græciam dum transferret, ſtudium ſuum adoleſcens intendebat. Puer admodum comœdiam Græcam compoſuit, elegos & heroicos aliquando pangens: ſuos etiam hendecaſyllabos, quorũ libellum emiſit, à Græcis probare gloriatur. Integerrimam vitam vixit, non ſine ſummorum virorum exemplo. Anno ætatis ſuæ viceſimo dicere in foro cœpit, & in ſenatu plures grauiſsimas cauſas egit. Prætor ludos dedit, vix Domitiani callidam immanitatem declinans, cùm omnem virtutem excindere conaretur. Ius trium liberorum à Traiano per Iulium Seruianum optimum & exactiſsimum virũ impetrauit: quod quidem ius quale quãq; multiplex ſit, conſules M. V. Maurum virum profectò diligentiſsimum, qui de eo librum conſcripſit. Cæſaris quæſturam, Tribunatum plebis, Præfecturam ærarij, Æmiliæ viæ, & aluei Tyberis curam, Auguratum, Conſulatũ ſumma fama & pari integritate adminiſtraui. In Tribunatu militum, & quæſtura Caleſtrium Tironẽ collegam, in Conſulatu & Præfectura

Corn

Cornutum Tertullum ſortitus, augurali dignitate Iulio Frontino ſucceſsit. Ponti & Bithyniæ ad ſtatum ordinandum miſſus Proconſulari poteſtate, non minorem prudentiæ gloriam, quàm moderationis & diligentiæ ſecum retulit. Traiano gratiſsimus & ſumma cum autoritate, à quo amicis ſuis honores ſæpius impetrauit, ſibi verò quot optauerat vnquam. Eorum quæ ſuperius dicta ſunt ferè omnia ex his quæ ſequuntur inſcriptionibus colliguntur.

Comi in exteriore ſtructura templi maximi.

C. PLINIO L. F. OVF. CÆCILIO SECVNDO COS. AVG. CVRAT. TIBER. *Ex Onſentina tribu.*

Mediolani in æde diui Ambroſij in arca lapidea ex tabulis confractis.

C. PLINIVS L. F. OVF. CÆCILIVS AVGVR LEGAT. PRO. PRÆ. PROVINCIÆ PON. CONSVLARI POTESTA. IN EAM PROVINCIAM ET IMP. CÆSAR NERVA TRAIANO AVG. GERMAN. CVRATOR ALVEI TYBERIS ET RIPARVM ET PRÆF. ÆRARI SATVRNI PRÆF. ÆRARI MIL.

QVÆSTOR IMP. SEVIR EQVITVM TRIB. MILIT. LEG. VI. GALLICÆ X. VIR S. LITIB. IVDICAND. ADIECTIS THERM. IN ORNATVM H-S. CCC. ET HOC AMPLIVS IN TVTELA. H-S. CC. T. FI. ET. IN LIBERATOR. SVORVM NOMIN. H-S. XVIII. LXVI. D. CLVI. REI INCREMENT. POSTEA AD EPVLVM PLEB. VRBAN. VOLVIT PERTINERE HOC AMPLIVS DEDIT IN ALIMENTA PVERORVM ET PVELLAR. PLEB. VRBAN. H-S. CCC. IN TVTELAM BYBLIOTHECÆ H-S. C.

In ſemidiruta æde diui Iuliani apud Fegium agri Mediolan.

C. PLINIO L. F. OVF. CÆCILIO SECVNDO COS. AVGVR. CVR. ALV. TIB. ET CLOAC. VRB. PRÆF. ÆR. SAT. PRÆF. ÆR. MILI. Q. IMP. SEVIR EQ. R. TR. M. LEG. VI. GAL. VIRO ST. LIT. IVD. FL. DIVI. T. AVG. RCELIENS.


In ſigillo quadriga vſus eſt. Diuitias, quas patrimonijs & honeſtis hæreditatibus largas comparauerat, liberaliter diſpenſauit. Nam

& nu

& nutrix eius, & Quintilianus præceptor ac interdum quamplurimi munificentiam Plinij ſunt experti. In municipio ſuo bibliothecam dedicauit, & annuos ſumptus in alimenta ingenuorum pollicitus erogauit, tertiamq; ſalarij partem publico præceptori obtulit. Romanum & Firmum cenſu equeſtri iuuit. Caninium ad bonas artes reuocauit. In agendis cauſis abſtinuit non modò pactione, dono, munere, verùm etiam xenijs. Laurentinum rus, & alterum in Tuſcis, quibus mirè afficiebatur, epiſtolis celebrauit. De multis autem quas iuxta Larium poſſedit villas, dilexit in primis, quam ferè in plano conditā Comœdiam, & quam Tragœdiam vocat, quia in edito ſita eſt. Romæ habitauit in Eſquilijs. Vxores duas habuit: poſteriorem nomine Calpurniam, Calpurnij & Pompeiæ Celerinę filiam, cum qua iucundiſsimè, quamuis ſine prole, vixit, quamq; ſtudiorum eius miniſtram quidam teſtantur. Ex doctiſsimis amicorum referam Virginium Rufum, Veſcritium Spurinam, Silium Italicum, Pompeium Saturninum, Valerium Martialem, Cornelium Tacitum, Suetonium Tranquillum, Voconium Romanum, Antoninum: Martialem etiam


viatico ſecedentem proſequutus, Tacitum vt rectorem & magiſtrum ſuſcipiens, Tranquillum contubernalem ſuum fouens & ornans. Fuit illi cum Ariſtone, Cornelio, Frontino, Neratio, Arriano iuriſconſultis amicitia ſumma. Ex libertis perdilectos habuit Zoſinum, & Eucolpum. Gloriæ appetens, & immortalitatis ſummus aucupator fuit: quod reliquum temporis dabatur à rebus ciuilibus & domeſticis, id totum ſtudijs impertiens, quorum varijs generibus nullius ſatis confiſus experiebatur. Nam præter iudiciales quibus Demoſthenem imitabatur, demonſtratiuas ſcripſit orationes, hiſtorias incertum. Hunc potiſsimũ crediderim Fabium per iſta
" demonſtraſſe, Sunt hodie ſumma, quibus il-
" luſtratur forum, ingenia: Nanque & conſum-
" mati iam patroni veteres æmulantur, & eos
" iuuenum ad optima tendentium imitatur ac
" ſequitur induſtria. Nullum emendandi genus omittebat, ac primùm quæ ſcripſerat ſecum ipſe pertractabat, deinde duobus aut tribus legebat, mox alijs tradebat annotanda, notaſq; eorum, ſi dubitabat, cum vno rurſus aut altero penſitabat, nouiſsimè pluribus recitabat. Scripſit libros epiſtolarum ſex, Panegyricum

ricum Traiano Imperatori. De viris in re militari & administranda Repub. illustribus. Et hæc quidem extant: quæ autem sequuntur iniuria temporum perierunt. vtpote Tragœdia Græca, De maris Icarij tempestatibus elegi, Hendecasyllaborum liber, Demonstratiuæ orationes in quibus Demosthenem sequutus est, De Heluidij vltione libri aliquot.



PLVTARCHVS CHERONÆVS.

PLVTARCHVS Cheronæus ex Bœotia clarus habetur Olympiade 224. Præceptor fuit Traiani Imperatoris, ad quem eius extat epiſtola. & à quo honorem Conſularem, ac poteſtatem, nequis per Illyriam magiſtratuũ abſque illius conſilio quicquam ageret accepit. Extant eius multa opera multis in locis mutila, quæ in duo digeſta ſunt volumina, quorum quidem vnum parallela, hoc eſt, illuſtrium virorum vitas, alterum verò moralia complectitur.



DIONYSIVS MILESIVS HISTORICVS.

DIONYSIVS Milesius historicus vixit circa Olympiadem ducentesimam vigesimam quartam. Scripsit autem de rebus gestis post Darium libros quinque, Descriptionem orbis, Persica sermone ionico, Troicorum libros tres, Mythica, Syclum historicum. Is admodum acceptus fuit Adriano principi, à quo & Satrapes factus est, adscriptusq; inter equites fuit.



CAIVS SVETONIVS TRANQVILLVS HISTORICVS.

CAIVS Suetonius Tranquillus patrem habuit Suetonium, cognomento Lenem, tertiæ decimæ legionis tribunum, & Augusticlauium, qui interfuit bello Othoniano. A patre filius Tranquilli cognomen accepisse creditur. Nam cùm ille lenis sit cognominatus, hic eodem significato, non eodem verbo dictus est Tranquillus. Floruit Olympiade 224 sub Adriano, vtpote illius magister epistolarum: verùm fortuna, quæ lubrica est, refragante, successor ei mox datus, quòd apud Sabinam Imperatoris vxorẽ familiarius egisse ferebatur, quàm reuerentia domus aulicæ postularet. Vsus est contubernio Plinij posterior

ſterioris. Scripſit libellum de Grammaticis & Rhetoribus. De genere veſtium, & de lubrica hiſtoria libros concinnauit. Compoſuit etiam volumina de vitijs corporalibus, & de prætoribus. Quodq; potiſsimum eſt, duodecim Cæſarum vitas reliquit, opus emunctum, refertumq; eruditione haudquaquam triuiali. Meminit Auſonius in Epiſtolio ad Paulinum trium Caij Suetonij de Regibus librorum.



APPIANVS ALEXANDRINVS.

Appianvs Alexandrinus vixit temporibus Adriani principis. Compoſuit xxii. libros hiſtoriæ Romanæ quorum tantùm modo extant vndecim. Bellorum Ciuilium lib. v. Parthicus, Celticus, Mithridaticus, Syrius, Illyrius, & Lybicus.



ÆLIANVS SOPHISTA RO-
MANVS.

AELIANVS Sophiſta Romanus floruit Olymp. 225. Maximè laudatur, quòd Romanus homo tam probè atticiſſauerit, tamq́; eleganter peregrinam vocẽ retinuerit. Scripſit de animalibus, de varia hiſtoria, de re militari, quæ omnia ad nos peruenerunt. Fuit auditor Pauſaniæ ſub Adriano principe.



DIOGENES LAERTIVS HISTORICVS CLARISSIMVS.

DIOGENES dictus est Laertius à Laerte oppido Ciliciæ. Quo tempore vixerit non constat. Colligitur tamen eum Plutarchi temporibus emicuisse, vel paulo pòst. Cùm enim multos autores citet, nullum Plutarcho recentiorem allegat. Opus eius declarat hominem fuisse magna veterum autorum copia perbellè instructum, in quibus citandis nequaquam indiligens est. Quamquam videtur plus studij adhibuisse in congerendo, quàm in eligendo. Præter vitas Philosophorum, scripsit & Pammetron librum, qui non extat.



PANTHERVS PHILOSOPHVS STOICVS.

PANTHERVS Philoſophus Stoicus, ad noſtram religionem conuerſus, ſcholæ eccleſiaſticæ Alexandrinæ præfuit, quæ inſtitutione Marci euangeliſtæ ad ſacrorum librorum eruditionē introducta fuit, tanta & doctrinæ & eloquentiæ fama, vt à legatis petitus in Indiam à Demetrio tum præſule Alexandrino mitteretur, vnde reuerſus euangelium Petri ſecum attulit Hebræis conſcriptum literis, quod Bartolemæus Apoſtolus in ea regione ſparſerat. Scripſit nonnulla, quamquam vtilior docendo quàm ſcribendo viſus eſt. Emicuit ſub Seuero & Caracalla principibus, circiter 248. Olympiadem.



DION CASSIVS HISTORICVS.

DION Caſsius hiſtoricus Aproniani filius Africam, Dalmatiam, Pannoniam, & Ægyptum prouincias obiuit, prætor à Pertinace deſignatus fuit, primò Conſul 252. Olymp. anno vrb. 981. cum collega Alexandro. Secundò verò Olymp. 267. anno vrbis 1044. cum collega Tiberiano. Scripſit hiſtoriam Romanã ſub Alexandro Seuero libris VIII. per decades diuiſis: geſta itidem Traiani, & Arriani Philoſophi vitam: item, Perſica, Getica Enodia, quorum quidem multa deſiderantur, & ea quæ extant admodum mutila ſunt.



ÆLIVS SPARTIANVS HISTORICVS.


AELIVS Spartianus hiſtoricus circa 267. Olymp.tẽporibus Diocletiani Auguſti emicuit ad quem etiam vitas imperatorũ Adriani,& Ælij Veri ſcripſit. Aliorum enim principum hiſtoriæ ab eo conſcriptæ, quorum meminit in præfatione de Ælio Vero dicturus,nihil amplius extat.



LVCIVS COELIVS LACTANTIVS FIRMIANVS RHETOR.

LACTANTIVS Firmianus, Arnobij discipulus, Crispi Constantini filij in Gallia praeceptor, vixit circa 270. Olymp. Nicomediæ Rhetoricam docuit: ac penuria discipulorum ad scribendum se contulit. Hæc autem eius scripta extant:

Diuinarum institutionum, lib. VI.
De Ira Dei, lib. I.
De Opificio Dei, lib. I.
Epitome acephalum in libros suos.
Phœnix.
Carmen de dominica resurrectione.
Carmen de passione Domini.



EVSEBIVS PAMPHILVS CÆSAREÆ PALESTINÆ PRÆFECTVS.

EVSEBIVS Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, floruit anno CHRISTI 320. ſub Conſtantino magno, (qui cœpit regnare Olympiade 271, anno Chriſti 310, mundi 4272, ab vrbe condita 1060) & ſub Conſtantio. In diuinis ſcripturis ſtudioſiſsimus fuit, & bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentiſsimus perueſtigator, cuius ob amiciciam ab eo cognomentum ſortitus eſt. Edidit euangelicæ demonſtrationis lib. xx. Euangelicæ præparationis lib. xv. Theophaniæ lib. v. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. x. Chronicorum canonum omnimodam hiſtoriam, & eorum epitomen. Euangeliorum diaphoniam.

In Eſaiam lib. x. Et contra Porphyrium, qui eodem tempore ſcribebat in Sicilia, vt quidam putant, lib. x x x. Topicorũ lib. I. Apologiæ pro Origene lib. v I. de vita Pamphili lib. I I I. De martyribus alia opuſcula: & in c L. Pſalmos eruditiſsima commẽtaria. Scripſit patrũ iuſſu ſymbolum Nicenum. ad Marinum librum de duobus in eccleſia Chriſti viuendi generibus.



IAMBLICHVS PHILOSOPHVS PYTHAGORICVS.

IAMBLICHVS Pythagoricus philoſophus è Chalcide Syriæ, fuit Porphyrij diſcipulus, Conſtantini magni tempore. Adeò profecit vt ſecundas poſt præceptorem Romæ obtineret,nec ab eo quicquam differre videretur doctrina, niſi quòd ille melior facilitate candoreq́; orationis, hic paulo durior habebatur:ac, vt de Xenocrate Plato dicebat, venere dicendi carebat. Moribus adeò probatus, vt eius vitæ abſtinentia modeſtiaq́; ea tempeſtate cognita fuerit. Extat libellus eius de myſterijs Ægyptiorum,Chaldæorum, & Aſſyriorum.



ÆLIVS DONATVS GRAMMATICVS.

AELIVS Donatus Grãmaticus præceptor diui Hieronymi, floruit circa 274 Olympiadem ſub Conſtantino. Scripſit artem, commentaria Grãmatica, libellum de octo partibus orationis, libellum de literis & ſyllabis earumq́; accidentibus, argumenta in Publij Ouidij fabulas, annotationes in Terentium, commentaria in Vergilium, vitam Terentij & Vergilij Maronis.



DECIVS AVSONIVS EPISCOPVS BVRDEGALENSIS.

DECIVS Auſonius genere Gallus, patria Burdegalenſis fuit. Vixit, imperantibus Valentino & Valentiniano Auguſtis, quibus ob ingenium & excellentẽ doctrinam magnopere acceptus fuit: ſed longe nobilior factus eſt ſub Gratiano Cæſare Valentiniani filio, quem in Latinis literis atque honeſtis diſciplinis magna diligentia erudiuit. Parentem habuit nomine Auſonium, profeſsione medicum, multisq; ac varijs artibus illuſtratum. Conſul fuit patrocinio Cæſaris Gratiani, anno ab vrbe condita 1133, Olymp. 290. Liorum epigrammatũ magna ex parte à Græcis acceptum, in Latinos numeros conuer-

tit, mira elegantia pariq; ingenio. Fuit enim Græcè ac Latinè peritiſsimus. De ijs item vrbibus ſcripſit, quæ nobiliores atque clariores habebantur, vario & multiplici genere carminum. Puellam nomine Biſſulam multis carminibus celebrauit. Fluuium Moſam eleganter deſcripſit. Libros faſtorum abſoluit, opus magni laboris ac multarum vigiliarum. Familiariter vſus eſt Tetradio Gallo, Paulino poëta, & Heſperio. De obitu ipſius nihil certi habetur.



CLAVDIANVS POËTA ÆGYPTIVS.

CLAVDIVS Claudianus poëta inſignis, Archadij & Theodoſij temporibus floruit: patria fuit Alexandrinus, nobiliſsima vrbe Ægypti: quidam Florentinum faciunt, parum diligenter obſeruantes veterum commentarios. Autores quippe Græci, qui de Poëta Claudiano meminerunt, Alexandrinum eum appellant. cui ſententiæ ipſemet adſtipulatur, dum Nilum ſuum vocat, vt nihil prætereà dubitari poſsit Alexandriam ei patriam fuiſſe. Ingenio excellenti fuit, maximeq́; apto ad carmen componendum. Opera illius ſatis nota ſunt, ſed præcipuam laudem iudicio multorum ſibi vendicat his car-

minibus, quibus Principes viros summis laudationibus seu Panegyricis extulit. De raptu Proserpinæ lib. IIII. scripsit, in Ruffinum libros duos: De bello Gildonico librum vnum: Epithalamium in nuptijs Honorij & Mariæ. Panegyrici libros septem: in Eutropiū libros duos: De bello Getico librum vnum: & epigrammata quædam. Augustinus & alij veteres eius ingenium atque eruditionem plurimum commendant. Probum, Probinū & Olibrium viros Cōsulares in magna habuit veneratione. Gennadium præterea, Honorium, Stiliconem, ac Manlium Theodorum singulari studio, incredibiliq; diligentia prosecutus est, quod libelli de illorum laudibus à se compositi, satis testantur. De obitu ipsius nihil apud veteres autores legimus.



BEMARCHIVS SOPHISTA.

BEMARCHIVS Cæsariensis Cappadociæ sophista, scripsit res gestas Constantini principis libris decem, præterea declamationes quasdam & orationes.



BLONDVS FLAVIVS FOROLIVIENSIS HISTORIOGRAPHVS.

BLONDVS Flauius Forliuienſis, Eugenij quarti Pontificis Secretarius, vixit anno Chriſti Do. 1435. Is, quanquam non admodum cultus, non paruum tamen hiſtoriæ attulit adiumentum. Extant eius de Roma triumph. lib. x. Romæ inſtauratæ lib. III. Italia inſtauta, Hiſtoriarũ ab inclinãte imperio li. XXXI. & alia quædam. Moritur ſub Pio ſummo Pontifice. Circunfertur hoc de eo epitaphium,

Hic ſitus eſt Blondus Priami cui forma, Catonis
Vita, Titi Liuij fama decusq́; fuit.
Coniuncta eſt ſancto coniunx pia Paula marito,
Fœminei ſexus gloria vt ille virûm.

